






ELEMENTA LOGICAE, ET ONTOLOGIAE

QUIBUS

BARTHOLOMAEUS BELLOFIORE

AVERSANAE CATHEDRALIS ECCLESIAE CANONICUS
ET SEMINARII RECTOR

OLIM

Auditores suos philosophos in Seminario dictando instituebat.





NEAPOLI,
EX REGIA TYPOGRAPHIA.

MDCCCXIII.

SEMINARII AVERSANI

ADOLESCENTIBVS

FRANCISCVS M. DE FALCO F.

Quae nunc primum formis typographicis expressa vobis exhibentur Logicae, et Ontologiae Elementa, *ea ipsa sunt, quae olim, probantibus summis Viris, in usum Adolescentium Seminarii in id studii incumbentium fuerunt digesta, ac exinde multorum annorum intercapedine de scripto dictata, atque tradita.*

*

In quo quidem efficiendo illud non spernendum erat incommodum, quod praeter non modicam temporis partem, quae reliquis occupationibus necessaria auferebatur ad scribendum in Scholis, in ipsa passim exemplaria non pauca irrepebant menda, quae et integras sententias corrumpebant, et dein legentibus non parum creabant difficultatis. Id mali perviderat ipse illorum auctor, qui saepe in scriptis suis vix se ipsum agnovit; et licet pluries cum eo pugnatum sit, ut pateretur publici juris fieri, numquam inflecti potuit, ut assentiretur, affirmans pro sua modestia, se lucubrationes suas nullo tempore tanti fecisse, ut existimaverit, eas publicae lucis usura dignas esse. Ego quamvis non tantum mihi arrogo, ut credam, me de quacumque re litteraria judicium ferre posse, tamen cum et ipse ex illorum studio adolescentes semper profecisse cognoverim, nunquam destiti suadere, ut typis committerentur. Igitur qua adurgendo, qua cujusdam veluti religionis stimulos injiciendo, ut tandem desineret in publicum commodum peccare, factum est aliquando, ut, me inprimis interprete, non recusaverit praelo mandari; illud unum in se suscipiens ad operas typographicas quod impenderet.

Qua in re consequenda nemini eorum, qui de iisdem argumentis hucusque scripserunt, vel minimam injuriam factum iri judicatum est. Siquidem non fugit, plurimas exstare id genus Institutiones *a magnis viris elaboratas, easque maximi ducendas esse. At quae ad rationem vestrorum studiorum essent magis conducibiles, quamvis diu, ac perdiligenter quaesitum sit, et optatum, ut invenirentur, nunquam datum est reperire. Hac ratione ducti Studiorum Seminarii mo-*

deratores auctorem impulerunt, cum Philosophiam tradebat, ut Logicam, et Ontologiam, caeteris missis, suo marte texeret, iisque auditores informaret. Quod feliciter perfectum sit, necne, docuit multorum annorum experientia, ita ut si ad alia declinatum sit, statim ad haec Elementa *arripienda necessarium fuerit confugere. Scripserat et idem auctor pleraque in* Psychologiam, *et* Theologiam *naturalem: sed aliae super alias subortae curae, quibus distringitur, non tulerunt, ut ea perpoliret, accuratius tractaret, et pateretur simul edi. Dabit, si aliquid otii nactus fuerit.*

Habetis ergo, optimi adolescentes, rationem editionis hujusce libri. Reliquum est, vobis commendem, ut studio harum scientiarum eo diligentiorem operam navetis, quo et major est illarum ad omne aliud doctrinae genus comparandarum necessitas; et intensior auctoris, quo vos semper complexus est, nec unquam sibi satisfacit, erga vos amor. Valete, in Ecclesiae viridario proseminati, excultique; et fructus, qui expectantur, Deo juvante, uberrimos facite: iterum valete.

ANTELOQVIVM.

Logicae nomen a Graeca voce λογος, quae latine sermonem sonat, derivatum est. Logica idcirco, si vis spectetur vocabuli, sermocinandi, non quidem ore, sed mente, facultatem designat. Dividitur autem in naturalem, et artificialem. Logica naturalis est ipsum rationis lumen a Deo Optimo Maximo hominibus inditum, quo veritatem investigent. At quoniam mens hominis, utpote finita, ac limitata, in investigando, cognoscendoque vero labi potest, et saepius labitur; hinc factum est, ut homines longo usu, studioque regulas quasdam compararint, quibus intellectus noster in veritatis inquisitione errorem declinaret. Ea disciplina, quae exponit regulas, quibus mens humana in cognoscendo, dijudicandoque vero dirigitur, vocatur Logica Artificialis, de qua in praesenti tractationem instituimus. Hanc vero longe praestare Logicae naturali manifeste liquet, tum quia per eam citius, et facilius veritatem assequimur; tum quia illius ope liberamur ab erroribus, qui investigandae veritati iter intercipiunt. Non est propterea, cur de illius utilitate, necessitate, atque praestantia plura verba faciamus: si enim nihil optabilius est bona mente, rationisque ad verum a falso dignoscendum aequabilitate, uti ajebat Arnaldus, nihil sane praestantius, nihil utilius, magisque nobis necessarium ea facultate est, quae mentem dirigit, ne in vero inquirendo fallatur ipsa, aliosque deci-

piat. Cum igitur Logicae artificialis praecepta eo respiciant, ut homo recte cogitet, recteque intellectus operationibus utatur in veritate perspicienda, vel examinanda; eam propterea Artem cogitandi definire licet.

Quemadmodum autem quatuor sunt humanae mentis operationes, in quibus dirigendis Logica tota versatur, simplex scilicet rerum perceptio, judicium, ratiocinatio, et methodus; ita quatuor sunt partes, in quas a recentioribus Logica ipsa dividitur. Prima pars simplicem rerum perceptionem expendit. Secunda de Judicio disserit. Tertia ratiocinationis naturam, principia, legesque complectitur. Quarta demum agit de methodo, idest de ordine, quo perceptiones, judicia, ac ratiocinationes disponendae sunt, et ut veritatem aliquam detegamus, et ut inventam aliis exponamus.

ELEMENTA
LOGICAE, ET ONTOLOGIAE.

PARS PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

De Perceptione.

Perceptio, quae dicitur etiam simplex apprehensio, est intellectus cogitatio, qua rem concipit duntaxat sine affirmatione, aut negatione; ut cum hominem, aut arborem mente concipimus, nihilque de illis affirmamus, aut negamus.

Perceptio autem multiplex est. I. Intellectio pura dicitur ea cogitatio, qua rem percipimus nulla corporea imagine expressam: ut cum percipimus Deum, animas nostras, virtutis honestatem, vitii foeditatem, et alia hujusmodi.

II. Imaginatio est cogitatio, qua rem absentem ita percipimus, ut sensibilem illius imaginem intra nos efformemus: veluti cum solem, circulum, aut aliud quidpiam corporeum quasi praesens intuemur, cum id saepe longissime absit, imo in rerum natura nonnunquam minime sit.

III. Memoria est cogitatio, qua iterum percipimus, quae olim percepimus, conscii quidem nos ea percepisse; quae quidem conscientia necessario requiritur, nam ea ablata, nulla est memoria.

IV. Sensatio, quae duplex est, interna nimirum, et externa. Sensatio interna est cogitatio, qua mens percipit sese, et quicquid intus agit, aut patitur. Sensatio externa est perceptio rerum externarum, quae sensus corporis feriunt. Sunt et aliae perceptionis species, de quibus omnibus alibi disputabimus.

CAP. II.

De Idearum Natura.

Idea, quae etiam notio, et conceptus appellatur, est id, quod menti obversatur, dum aliquid percipit; forma nimirum, species, aut exemplar rei objectae. Ita dum de anima, aut corpore nostro cogitamus, id quod menti cogitanti praesens est, dicitur idea.

Idea autem, de qua modo loquimur, confundenda non est cum ea corporea imagine in cerebro depicta, ad quam mens sese convertit, dum aliquod sensibile corpus contemplatur. Hujusmodi enim spectrum, quod φαντασμα visio, seu visum dicitur, ab ipsa rei notione, sive idea quammaxime diversum est. Et quidem innumera sunt quorum ideam habemus, quin simulacrum aliquod in cerebro fiat, in quo tanquam in imagine illa attingamus. Hujus generis sunt res omnes incorporeae, quas cogitatione complectimur, quin aliquod spectrum in cerebro depictum mens sibi contemplandum proponat. Imo ex rebus ipsis corporeis multae sunt, quae sub imaginationem minime cadunt, quamvis clare, et distincte a nobis percipiantur. Ita Chiliogonum distincte mente concipimus, et tamen assequi non possumus, ut huius figurae distincta imago nobis objiciatur. Idea igitur excludit quascumque sensibiles imagines, quas veluti depictas in cerebro imaginatio nobis offert.

Ex his, quae de idea, et perceptione dicta sunt, colligitur, ideam, et perceptionem non differre inter se quoad entitatem, seu substantiam; sed tantum quoad diversam relationem. Eadem enim mentis cogitatio si referatur ad intellectum, et consideretur, ut actio ejusdem, dicitur perceptio; si vero referatur ad id, quod exprimit, et consideretur ut forma, seu species rei objectae, dicitur idea. Alii tamen aliter opinantur. Verum quicquid sit de hac quaestione, advertendum est I. perceptionem appellari etiam a Logicis ideam formalem; ipsam autem ideam, seu id quod menti praesens est, ideam objectivam. II. Philosophos praesertim recentiores ideam, et perceptionem promiscue usurpare pro rei repraesentatione in mente facta.

CAP. III.

De Idearum Differentia.

Triplici ex capite desumitur idearum differentia, ex principio nempe, seu origine, unde proficiscuntur; ex forma, seu modo, quo objecta in ideis contemplamur; ex materia, seu objectis, quae in ideis cognoscuntur.

Articulus Primus.

De Differentia Idearum ratione Originis.

Ideae ratione originis distingui solent in adventitias, factitias, et innatas.

Ideae adventitiae seu acquisitae sunt, quae a rebus externis per sensus ad mentem perveniunt; cujusmodi sunt ideae omnes rerum corporearum.

Factitiae sunt, quas ex adventitiis componendo, vel separando, vel alio quovis modo ipsa sibi mens effingit: ut dum aliquis ex idea montis, et idea auri, montem aureum sibi fingit; vel longitudinem, neglecta latitudine, et profunditate, contemplatur.

Ideas innatas tandem admittunt Cartesiani. Quid vero sint, et utrum dentur, videbimus in Metaphysica.

Articulus II.

De Formali Idearum Differentia.

Ratione formae, seu modi, quo objecta in ideis contemplamur, ideae sunt.

I. Clarae, vel obscurae. Idea clara est, quae nobis rei objectae peculiares proprietates exhibet; ita ut illam ab aliis rebus discernere valeamus. Obscura vero, quae rei proprietates exhibet cum aliis communes, quae non sufficiunt ad rem repraesentatam ab aliis rebus distinguendam. Ex gr: Si quis triangulum ut figuram planam rectis lineis comprehensam conciperet, obscuram illius ideam haberet, quippe id commune est pluribus aliis

figuris. Haec autem clara erit, si illud ut figuram planam tribus rectis comprehensam sibi repraesentet.

II. Ideae sunt vel distinctae vel confusae. Idea porro confusa esse potest tribus de causis. 1. Si rei objectae peculiares proprietates, quibus ab aliis res ipsa discernitur, inter se non discernantur; quod quidem oritur ex praecipiti mentis perceptione, quae uno obtutu rem considerat: veluti si non apte secerno proprietatem, qua tria latera habet triangulum, ab ea, qua tres angulos habet. 2. Si proprietates oppositas, aut ad aliam rem pertinentes in idea alicujus rei simul misceamus: velut si quis humanam mentem concipiat ut materiam subtilissimam, quae in homine cogitat. 3. Si rei objectae proprietates cum nostrae mentis affectionibus permisceamus: veluti cum calorem illum, quem, manu ad ignem admota, sentio, in igne esse existimo. Si triplex hoc vitium absit, ideae erunt distinctae: nimirum si rei proprietates inter se discernantur, si repugnantes proprietates non admisceantur, si cum rei proprietatibus nostrae affectiones non confundantur.

III. Idea vel est completa, vel incompleta. Completa idea est, quae nobis distincte exhibet proprietates omnes ad rem in quolibet casu, et statu agnoscendam, et ab aliis distinguendam sufficientes. Veluti si mihi triangulum aequilaterum exhibeam ut figuram planam tribus rectis comprehensam, aequilateram, et aequiangulam: enumeratae enim proprietates sufficiunt ad triangulum aequilaterum non solum ab omnibus aliis figurarum generibus, verum etiam ab omnibus aliis triangulorum speciebus distinguendum. Incompleta vero est, quae non omnes hujusmodi proprietates nobis exhibet: ut si quis triangulum aequilaterum sibi repraesentet tanquam figuram planam, tribus rectis comprehensam: hae siquidem proprietates quamvis sufficiant ad triangulum aequilaterum ab aliis figurarum generibus distinguendum; tamen non sufficiunt ad idem distinguendum ab aliis triangulorum speciebus. Hinc patet, ideam completam differre ab idea distincta; fieri enim potest, ut idea aliqua distincte nobis exhibeat proprietates nonnullas ad rem ab aliis quamplurimis distinguendam sufficientes, sed non omnes, quibus ab omnibus aliis in quolibet statu, et casu distingui possit; et tunc idea erit distincta quidem, sed incompleta. Hinc rursus patet, varios esse posse in alicujus

rei idea distinctionis gradus majores et majores, donec ad ejusdem rei completam ideam perveniatur.

IV. Idea est vel adaequata, vel inadaequata. Adaequata est, si omnes omnino rei proprietates distincte nobis exhibeat; secus vero, erit inadaequata. Hinc patet non oportere adaequatam esse ideam, ut sit completa: nam completa proprias tantum, adaequata vero omnes ad unam rei proprietates complecti debet. Adaequatae sunt ideae omnes abstractae: res enim, quae per eas repraesentantur, eas tantum proprietates habent, quae in iis à nobis concipiuntur. At inadaequatae sunt aliae omnes ideae.

V. Idea vel est simplex, vel composita. Simplex dicitur illa, in qua plura distinguere nullo modo possumus. Hujusmodi sunt ideae sensationum, actuum, et affectionum nostrae mentis: ita ex. gr. incassum nitimur partes ullas distinguere in sensu odoris, saporis; in actu voluntatis, volitione nimirum, aut nolitione, etc. Composita vero est, in qua plura seorsim intelligere possumus. Hujusmodi sunt ideae omnes rerum corporearum.

VI. Ideae in veras, et falsas a plerisque distinguuntur. Ideae porro vel ad id, quod interius in mente est, sive ad sese; vel ad aliquod exterius ab ipsis distinctum referuntur. Si ad se ipsae referantur, nullus in eis falsitatis locus esse potest. Nam idea est rei forma animo comprehensa: fieri autem nequit, ut menti non obversetur, quod illi reipsa obversatur. At si ad aliquid exterius referantur, falsitatem admittere possunt ideae; quae quidem falsitas non est proprie in idea, sed in judicio, cui idea illa occasionem praebuit. Ita ex. gr. si quis percipiat aurum, praesente orichalco, in idea auri nulla falsitas est, quippe quae verum aurum menti exhibet; quod si illam referat ad orichalcum praesens, judicetque orichalcum esse aurum, tunc adest falsitas, quae profecto non cadit in ideam, sed in subsequens judicium. Quare vulgo ajunt, ideam materialiter tantum falsam esse posse, quatenus occasionem praebere potest sequentis judicii falsi; non autem formaliter.

Articulus III.

De Materiali Idearum Differentia.

Quicquid mente nostra percipimus vel est substantia, vel modus, vel substautia modificata : ex quo fit, ut inter ideas mentis nostrae, quoad materiam, seu obiecta spectatas prima, et praecipua differentia haec sit, ut quaedam sint ideae substautiarum ; aliae ideae modorum ; aliae ideae substantiarum modificatarum.

Porro substantia dicitur id omne quod, per se existit, nec ulla re indiget tamquam subjecto ad existendum. Modus dicitur quicquid substantiae tanquam subjecto inhaeret. Substantia denique modificata vocatur ipsamet substantia cum aliquo modo conjuncta. Qua ratione cera est substantia, nam per se existit, nec alia re indiget tamquam subjecto ad existendum: rotunditas ipsius cerae dicenda est modus, quia cerae tamquam subjecto inhaeret: denique cera cum ipsa rotunditate conjuncta substantiae modificatae ideam exhibebit.

Substantias autem cognoscimus per modos. Cum enim naturali lumine omnibus notum sit, nullas esse nihili affectiones, seu proprietates, certe ubicumque modum aliquem, seu proprietatem reperimus, ibi substantiam pariter adesse judicamus. Sic aëris existentiam compertam habemus ex eo, quod manum celeriter moventes impetum quemdam sentiamus.

Hinc non recte nonnulli Lockium reprehendunt, eo quod docuerit, substantiam esse ignotum quoddam subjectum seu substratum, quod modis subest. Nos enim in substantiis nihil aliud percipimus, nisi quamdam modorum colligationem, quorum quamvis sciamus esse prima quaedam subjecta, tamen quae sint, ignoramus : proindeque licet generica substantiae idea clara sit, et distincta (nomine enim substantiae generatim intelligimus quicquid per se ita existit, ut nulla alia re indigeat tamquam subjecto ad existendum), nihilominus substantiarum particularium, si prout sunt substantiae spectentur, neque claras, neque distinctas notiones habemus.

Neque inde sequitur, nos, admissa hac doctrina, non posse deprehendere discrimen, quod inter substantias intercedit. Nam quemadmodum ex ideis modorum sub-

stantiarum ideas comparamus: ita ex modorum diversitate substantiarum quoque diversitatem deprehendimus. Hinc Metaphysici animam humanam substantiam materialem esse negant, quia modi, quibus subest, nempe cogitationes, longe diversi sunt, imo excludunt omnino modos, qui in materiali substantia reperiuntur: et corpus negant esse substantiam spiritualem, quia extensio, divisibilitas, soliditas, etc, quibus subest, excludunt cogitationes.

Quamobrem ideae substantiarum ad duas classes reduci possunt, spiritualium, quae sunt subjecta cogitationum; et materialium, quae sunt subjecta extensionis, divisibilitatis, soliditatis, etc. Recentiores aliam admittunt substantiae speciem, vacuum nimirum, seu spatium inane, quod neque spiritualem, neque materialem substantiam esse ajunt, sed tertium quid, ex eo quod extensio penetrabilis, qua gaudet, neque spirituali, neque materiali substantiae competat. Utrum vero recte id asserant, necne, in physicis disquiretur. Interim nos, omissa hac de vacui natura quaestione, duplicem cum Dualistis substantiarum speciem existere; spiritualium nempe, et materialium, certo supponimus, quarum existentia opportuniori loco demonstrabitur.

Quod ad modorum ideas attinet, facile ex dictis colligi potest, illas etiam ad duas classes posse reduci, nempe ad ideas modorum vel spiritualium, vel materialium. Cum enim modi omnes, quorum nos ideas habemus, duo substantiarum, quibus inhaerent, diversa genera existere arguant, spiritualium nempe, et materialium; manifestum est; illos etiam vel spirituales esse, vel materiales. Ad primi generis modos pertinent cogitationes, omnesque substantiae spiritualis affectiones: ad modos vero secundi generis pertinent extensio, et reliquae proprietates substantiae materialis; de quibus omnibus cum in Metaphysicis, tum in Physicis Institutionibus agetur.

Etsi autem ex quolibet modo in substantiae cognitionem devenire possumus, tamen non eadem ratione modi omnes substantiis inhaerent. Quidam enim necessario, et immutabiliter substantiam comitantur, ita ut sine illis concipi non possit; quidam vero ejus naturae sunt, ut a substantiis, quibus inhaerent, possint separari, iisdem manentibus genere, et specie. Qui rebus necessario, et immutabiliter inhaerent, modi vel proprietates essentiales,

aut etiam attributa essentialia dici solent. Contra autem modi accidentales, attributa accidentalia, vel accidentia vocantur illi, qui a subjecto possunt separari. Sic durities, et gravitas in lapide constanter manent; at calor mutabilis est; cum, salva lapidis specie, adesse, vel abesse possit. At de his distinctius agetur in Ontologia.

Ex his, quae hactenus diximus, colligi potest, quid dicendum sit de ideis substantiarum modificatarum. Quare, ceteris omissis, unum tantum adjicio, nimirum ideas illas, quae rem exhibent cum solis modis essentialibus, vocari incomplexas; illas vero, quae rem exhibent conjunctam non solum cum modis essentialibus, sed etiam cum accidentalibus, appellari complexas. Ita si quis sibi repraesentet hominem tamquam animal rationale, is notionem habet incomplexam: at si quis hominem sibi repraesentet tanquam animal rationale, doctrina praeditum etc. is hominis notionem complexam habet.

Articulus IV.

De Categoriis Aristotelis.

Ad hunc de ideis secundum objecta consideratis locum reduci possunt decem Aristotelis Categoriae. Categoria autem graeca vox est, quae latine verti potest, attributio, seu praedicatio, aut praedicamentum. Hinc Categoriae in Scholis definiuntur: suprema quaedam genera, seu classes, aut capita, in quibus omnia substantiae particularis attributa, seu praedicata continentur; ad quae nimirum referuntur omnia quaecumque aut mente concipimus, aut verbis exprimimus. Has autem numero esse decem statuit Aristoteles in libro de Categoriis, Substantiam scilicet, Quantitatem, Qualitatem, Relationem, Actionem, Passionem, Ubi, Quando, Situm, et Habitum; quae omnia hisce duobus versiculis Scholastici comprehendunt.

Arbor, sex servos, ardore, refrigerat, ustos,
Ruri, cras, stabo, sed tunicatus ero.

Arbor denotat Substantiam; *sex* numerum, seu Quantitatem; *servos* denotat Relationem, servus enim refertur ad herum; *ardore* denotat Qualitatem; *ustos* denotat Passionem; *refrigerat* Actionem; *ruri* respondet Ubi, sive

quaestionibus de loco; *cras* respondet Quando, cum scilicet respondemus quaestionibus de tempore; *stibo* denotat Situm; *tunicatus* Habitum. Atque hae sunt decem Aristotelis Categoriae, quarum explicatio opportunius dabitur in Ontologia.

Recentiores quidam Philosophi decem illis Categoriis alias septem substituerunt his versiculis comprehensas,

Mens, Mensura, Quies, Motus, Positura, Figura,
Sunt cum Materia cunctarum exordia rerum;

existimantes omnia, quae a nobis concipi queunt, ad illas posse revocari. Ceterum si numerus Categoriarum ex ipsa objectorum diversitate repetendus sit, hae tres tantum erunt et non plures, scilicet Substantia, Modus, et Substantia modificata. Si enim Substantiae Categoriam excipias, reliquas omnes nihil aliud esse, nisi modos, in philosophiae decursu patebit.

Articulus V.

De Ideis Singularibus, Particularibus, et Universalibus.

Si ideas ratione objectorum consideremus, dividi possunt in singulares, particulares, et universales. Idea singularis ea est, quae unum numero, certum, determinatumque obiectum menti repraesentat; hujusmodi est idea Petri. Particularis est illa, quae objectorum ad idem genus, vel ad camdem speciem pertinentium partem aliquam vagam, atque indeterminatam repraesentat: hujusmodi sunt ideae cujusdam animalis, vel quorumdam animalium, cujusdam hominis, vel quorumdam hominum. Idea tandem universalis est, quae nobis exhibet id, in quo omnia vel ejusdem, vel diversae naturae objecta simul conveniunt: tales sunt ideae hominis, animalis, corporis etc; menti enim exhibent id, in quo simul conveniunt objecta omnia vel ejusdem naturae, uti est idea hominis, vel diversae naturae, uti sunt ideae animalis, corporis, etc.

Duo porro in idea universali interest quam accurate distinguere, comprehensionem scilicet, et extensionem. Sub ideae comprehensione veniunt ea omnia, quae ita in illa sunt, ut nullum plane negligi queat, quin idea ipsa destruatur. Sub ideae vero extensione ea omnia occurrunt, quibus idea ipsa convenit. Illa idcirco ideae

attributa; haec vero ejusdem subjecta, sive, quod perinde est, inferiora nuncupantur. Sic animalitas, et rationalitas ad comprehensionem ideae hominis pertinent: at vero Petrus, Paulus, ceterique homines ad illius extensionem. Hi namque sunt subjecta, quibus hominis notio competit; contra vero animalitas, et rationalitas sunt attributa, quae in hominis notione continentur, nobisque relucent.

Est praeterea discrimen aliquod inter comprehensionem, et extensionem ideae universalis. Nam si ab ejus comprehensione aliquod dematur attributum, continuo destruitur idea: verum si extensio ejusdem ideae per additionem alterius attributi sive determinati, sive indeterminati restringatur, non idcirco destruitur idea. Ita si ab idea Corporis demas extensionem, aut divisibilitatem, destruitur idea corporis: quod si restringatur eadem idea per additionem pelluciditatis, non idcirco peribit idea corporis.

Illud denique omittendum non est, ideas universales a Scholasticis appellari universalia in *repraesentando*, nempe ut distinguantur a duabus aliis universalium speciebus, quorum unum vocant in *significando*, alterum in *causando*. Universale in *significando* appellant illud, quod plura significat, cujusmodi sunt voces universales, ex. gr. voces *homo*, *substantia*, etc. Universale in *causando* vocant illud, quod est causa rerum omnium, veluti est Deus. Atque has quidem tres universalium species, quod communi omnium philosophorum suffragio nitantur, ultro recipimus; quae vero de suo addiderunt alia duo universalia, quorum nempe alterum in *essendo*, alterum in *praedicando* diceretur, quod vulgo *Peripateticum* universale vocatur, admittenda non esse paulo post innotescet.

Articulus VI.

De Universalibus Porphyrii.

Ideae universales quinque vulgo numerantur, scilicet Genus, Species, Differentia, Proprium, et Accidens. Quae Porphyrii universalia in Scholis appellari consueverunt, eo quod Porphyrius in gratiam Chrysarii Romani cujusdam adolescentis, cui liber Categoriarum Aristotelis

obscurior videbatur, de hisce quinque ideis libellum conscripserit, Isagogen vulgo dictum, quod sit veluti quaedam ad Aristotelis Categorias introductio. Praedicabilia vocari etiam solent, quatenus nempe modum exhibent, quo unumquodque attributum de re enunciari potest. Omne enim, quod de alio dicitur, vel enunciatur ut genus, vel ut species, vel ut differentia, vel ut proprium, vel ut accidens. De his sigillatim.

De Genere.

Genus est attributum universale commune pluribus differentibus specie: hujusmodi sunt attributa Entis, Substantiae, Corporis, Viventis, Animalis, quae communia sunt pluribus differentibus specie. Etenim attributum Entis commune est substantiis aeque, ac modis; attributum Substantiae commune est spiritibus, et corporibus; attributum Corporis commune est viventibus, et non viventibus; attributum Viventis commune est animalibus, et plantis; attributum animalis commune est hominibus, ac belluis. Specie autem differre dicuntur, quae sub eodem genere posita essentialiter, hoc est in aliquo attributo essentiali inter se discrepant, Sic homo et equus specie differunt; quia licet sint sub eodem genere animalis, in eoque plane conveniant; adhuc tamen essentialiter discriminantur.

Genus dividitur primo in proximum, et remotum. Genus proximum dicitur illud, quod ita enunciatur de pluribus differentibus specie, ut nullum aliud attributum habeat infra se, quod de illis sub generis itidem ratione dici possit. Remotum vero est illud, quod aliud genus sub se continet. Sic cum homo, et bellua immediate sint sub genere animalis, mediate vero sub genere viventis; animal est genus proximum, remotum vero vivens, si ad hominem, et bellnam attributa ipsa referantur.

Dividitur secundo in supremum, medium, et infimum. Supremum est, quod supra se nullum habet attributum, cui vera generis ratio competat. Medium quod tam supra, quam infra se habet alterum genus. Infimum vero, sub quo genus aliud non reperitur. Sic attributum Entis est genus supremum, quod nihil est supra Ens, cui generis ratio competat. Substantia vero, Corpus, Vivens sunt genera media; et Animal est genus

infimum: cum scilicet illa medium inter attributum Entis, et attributum Animalis locum teneant; contra vero sub Animali genus alterum non inveniatur.

Observandum porro, illud attributum dici superius alio, quod illo universalius est, seu quod majorem extensionem habet. Sic attributum Corporis dicitur superius attributo Viventis, quia sunt longe plura, quibus competit ratio Corporis, quam ea sint, quae vita donantur.

De Specie.

Species sunt hae, in quas, ut ait Tullius, genus sine ullius intermissione dividitur; veluti sunt Substantia, et Accidens, quae sunt species Entis. In Scholis tamen definiri solet Species: attributum, quod multis individuis, seu singularibus convenit. Quae quidem definitio priorem non excludit: illa enim respicit speciem relate ad genus, cui subjicitur; haec vero speciem respicit relate ad individua, quae sub illa continentur. Itaque quemadmodum genus sub se speciem continet, quatenus ei tribui potest, et respectu illius est totum ut ajunt *potentiale*, seu *universale*: ita quoque species continet individua quidem sub se, et respectu illorum est etiam totum *potentiale*, seu *universale*; continet autem genus non sub se, sed in se, et est totum *actuale* respectu generis; et genus est illius pars *actualis*, altera vero pars *actualis* est Differentia, de qua inferius. Itaque Genus, et Differentia cum conjunguntur, Speciem constituunt.

Cum species subjiciatur Generi, simulque individua sibi subjecta respiciat, duplicem denominationem Species ipsa sortita est. Subjicibilis siquidem dicitur, si generi comparetur; praedicabilis vero, si ad individua referatur. Non enim de genere, cui subest, sed de individuis, quibus praeest, enunciari species legitime potest. Hinc Species, non qua subjicibilis, sed qua praedicabilis est, secundum Universale constituit.

Triplicem vero Speciem numerant Logici Supremam, Mediam, et Infimam. Supremam vocant, quae supremo generi immediate subjicitur: ut Substantia, quae immediate Enti subjicitur. Mediam, quae sub genere medio posita est, atque adeo quae ita est species, ut generis etiam rationem retineat, sicuti Corpus, Animal, etc; quod quidem etiam de suprema dicendum est. Infimam vero

simulque atomam, et specialissimam, quae nullam sub se continet speciem, sed tantum individua; ut homo.

Ex his apparet, Speciem tam Supremam, quam Mediam non habere rationem speciei, nisi subjicibilis, ideoque ad primum tantummodo Universale pertinere. Sola igitur Species Infima, seu praedicabilis ea est, quae peculiare Speciei Universale constituit, utpote quae sola ita est Species, ut Generis ratio illi prorsus repugnet.

De Differentia.

Cum genus, inquit Arnaldus prima parte Artis cogitandi cap. 6., duas saltem sub se species habeat, necessario ambarum ideae aliquid in se includunt non inclusum in idea generis. Si enim nihil in se haberent a genere diversum, genus essent; et sicut genus de utrisque speciebus praedicatur, ita utraeque species de se invicem praedicarentur. Hinc primum attributum essentiale speciei non inventum in genere, ipsius Differentia nominatur. Exemplum esto: circulus, et triangulum sunt duae species figurae planae; oportet ergo, ut aliquid amplius sit in ideis circuli, et trianguli, quam est in idea figurae planae. Illud vero amplius, quod in circulo primo videmus, rotunditas est; quod in triangulo, numerus ternarius laterum. Hinc differentia circuli erit rotunditas; trianguli autem, numerus ternarius laterum: hoc est, circulus erit figura plana rotunda; triangulum vero figura plana tribus lateribus comprehensa. Quocirca Differentia definiri potest: Attributum essentiale, et primarium, quo species genus excedit, et ab alia specie sejungitur.

Duo itaque Differentia respicit, et genus scilicet, quod dividit, et speciem, quam constituit. Ita rationale, et irrationale duae differentiae sunt, quae dividunt Animal: deinde rationale constituit hominem, irrationale constituit belluam. Hinc Differentia dicitur in Scholis divisiva generis, et constitutiva speciei.

Praeterea Differentia est vel generica, vel specifica, velu umerica. Differentia generica est, quae dividit genus superius, et constituit inferius. Specifica est, quae dividit genus infimum, et constituit speciem infimam. Numerica demum est, quae dividit speciem infimam, et

constituit individuum. Dicitur vero numerica, quia individua numero tantum inter se differunt; ut Petrus numero differt a Paulo, et Paulus a Caio.

Illud autem advertatur velim, Differentias, quae genera, et species constituunt, et determinant, esse attributa essentialia; etenim genera, et species constituuntur per notas, quibus genera, et species agnoscimus, et ab aliis discernimus. Notae autem, quibus genera, et species distinguuntur, desumi debent ab attributis essentialibus; accidentia enim, seu modi accidentales mutabiles sunt, et separari possunt a subjecto, eodem manente genere, et specie, ac proinde ad species vel genera distinguenda non valent. Verum individua per modos accidentales, relationes, denominationesve extrinsecas determinantur: si enim ea omnia quae in speciei infimae notione indeterminata sunt, sive individuis communia, per modi alicujus, vel relationis additionem determinentur ita, ut nihil amplius indeterminatum supersit, sed attributa communia ad rem unicam, et determinatam restringantur, jam habetur notio individui. Ita si attributa Animalis hominibus et belluis communia restringantur et determinentur per additionem attributi rationalitatis, efformabitur idea speciei humanae; et si attributa speciei humanae individuis communia, temporis, loci, et circumstantiis determinata intelligamus, singularis hominis idea formabitur. Hinc liquet, individuum esse ens omnimode determinatum; principium autem *individuationis*, de quo tot extant in Scholis altercationes, nihil aliud esse, nisi omnimodam determinationem eorum, quae subjecto alicui inhaerent.

Ex praecedentibus manifestum est, plus esse in individuo, quam in specie; et plus in specie esse, quam in genere: individuum enim omnimodas determinationes complectitur; species autem comprehendit pauciores determinationes, quam individuum; et genus pauciores, quam species. Hinc quatuor Corollaria deduci possunt, Philosophis familiaria.

Corol: 1. Quo minorem habet idea comprehensionem, eo majorem habet extensionem, et viceversa. Ita ex: gr: idea Petri comprehendit omnimodas determinationes; hinc fit, ut idea Petri non possit extendi, et applicari ad alia subjecta, nisi ad solum Petrum. Idea vero hominis non comprehendit tam multas determinationes, quam idea

Petri: hinc idea hominis latius patet, et ad plura extenditur. Idea animalis pauciores porro comprehendit determinationes, quam idea hominis: hinc idea animalis ad plura applicari potest, quam conceptus, sive idea hominis.

Corol: 2. A determinata specie non debet concludi ad genus; nimirum ex eo, quod homo sit rationalis, non debet concludi et animal esse rationale: nam rationalitas, quae speciem humanam determinat, non comprehenditur in notione generica animalis.

Corol: 3. Genus cum sua specie non potest reciprocari: idest homo potest dici animal, quia ratio animalis comprehenditur in idea hominis; sed animal dici non potest homo, quia rationalitas, per quam homo constituitur, non comprehenditur in idea animalis.

Corol: 4. Non omne id, quod repugnat speciei, idem repugnat quoque generi; quamvis quod repugnat generi, idem repugnet quoque speciei. Sic ex: gr: repugnat homini tamquam speciei irrationale esse; idem vero non repugnat animali in genere. Contraria autem ratione concludere possum; repugnat animali in genere sine sensatione esse; ergo etiam homini. Ratio patet ex dictis.

De Proprio.

Attributum, quod necessario Differentiae conjungitur, proprium appellatur. Ita triangulo proprium est habere tres angulos. Proprium tamen quatuor modis apud Porphyrium dicitur 1. Quod soli alicui speciei accidit, sed non omni, sive singulis ejus individuis; ut soli homini contingit esse philosophum, sed non omni homini. 2. Quod omni speciei convenit, sed non soli; ut convenit omni homini esse bipedem, sed non soli homini. 3. Quod omni, et soli speciei convenit, sed non semper; ut canescere homini peculiare est, non in pueritia tamen, aut in juventute, sed in senectute; quod si alias contigerit, inusitatum videtur. 4. Demum quod omni, et soli speciei convenit, et semper; ut proprium est omni triangulo, et soli triangulo, et semper, habere tres angulos. Atque hoc ultimum proprii genus quartum Universale constituit; cum cetera ad Accidens potius referenda sint.

De Accidente.

Accidens est omne id, quod substantia non est, neque ipsi necessario convenit; sed illam duntaxat contingenter, et mutabiliter sequitur. Definitur autem a Porphyrio: id, quod adest, vel abest sine subjecti, quod afficit, et cui inhaeret, corruptione. Est vero Accidens ipsum duplex, separabile scilicet, quod facile abesse potest, et abstrahi a subiecto, ut dormire in homine; et inseparabile, quod a re, cui inest, non potest nisi per mentem separari; cujusmodi sunt candor Cycni, nigredo Corvi, vel Aethiopis.

Accidens vero inseparabile in hoc a proprio distinguitur, quod illud non solum per mentem separari a subjecto, cui inhaeret, sed etiam de illo negari possit, salva ejus essentia, seu natura. At proprium quamvis per mentem separari possit a subjecto suo, non potest tamen de illo negari, salva ejus essentia. Ita candor et abstrahi potest a Cycno, et de Cycno negari, salva ejus natura; non potest tamen de triangulo negari ternarius angulorum numerus, quin ejus natura destruatur.

Scholium.

Aristotelis Categoriae dicuntur in Scholis praedicamenta: Porphyrii vero Universalia vocantur praedicabilia. In hoc autem differunt, quod praedicabilia designant modum, quo unum enunciari possit de alio; nimirum attributum enunciari posse de subjecto vel per modum generis, vel per modum speciei, etc. At praedicamenta exprimunt attributa ipsa, quae enunciantur; nempe Substantiam, Quantitatem, etc.

CAP. IV.

De reliquis Perceptionis speciebus.

Praeter enumeratas superius perceptionis species, nonnullae aliae supersunt explicandae, quas idcirco ab initio non retulimus, quod ea, quae de ipsis tradi solent, intelligi recte non poterant, nisi prius idearum naturam, earumque differentias evolvissemus. In hoc igitur capi-

te de reliquis perceptionis speciebus disseremus. Sunt autem Attentio, Reflexio, Abstractio, et Praecisio.

Articulus i.

De Mentis Attentione, et Reflexione.

Attentio est actio illa, qua in re aliqua percipienda mentis aciem defigimus, ut eam clarius percipiamus. Reflexio est successiva attentionis directio ad varias rei perceptae partes. En utriusque exempla: Si machinam, puta horologium, percipientes in aliqua illius parte mentem defigimus, dicimur ad eam attendere; si vero ad omnes ejus partes successive attendimus, adeo ut distincte consideremus rotulas omnes, machinulasque in eo existentes, dicimur super illud reflectere.

Hinc patet 1. ideas nostras ex obscuris claras fieri mediante attentione; quo enim attentius rem consideramus, eo clarius percipimus: 2. ideas confusas fieri distinctas, mediante reflexione; ope enim reflexionis partialia in re quapiam obvia sigillatim nobis repraesentamus.

Scholium.

Advertendum est reflexionem, et actum reflexum vocari etiam a plerisque illam animae actionem, qua vel se, vel suas operationes cognoscit; quae quidem actio ab aliis conscientia nuncupatur. Porro Leibnitius actionem illam, qua mens suas operationes cognoscit, vocat apperceptionem.

Articulus ii.

De Mentis Abstractione.

Quicquid existit, omnimodas determinationes habet, ac proinde individuum est, seu singulare. Ideae igitur rerum actu existentium sunt singulares. Hinc ideae Universales non sunt nisi mentis opus: mens enim nostra facultatem habet, qua singulares ideas reddat universales. Hujusmodi mentis operatio a Logicis Abstractio nuncupatur. Porro ideae singulares fiunt universales, et universales universaliores, removendo ab illis proprias differentias, seu determinationes. Exemplum esto: cum nos

de Socrate cogitamus, notio, quae nobis praesens est, unicum determinatumque hominem repraesentat. At si notionem ipsam iis omnibus exuimus circumstantiis, et determinationibus, per quas Socrates ab alio quolibet individuo distinguitur, jam Socrates cum aliis hominibus convenit, et notio singularis evadit universalis, quia non Socratem dumtaxat, sed omnes homines exhibet. Quemadmodum autem notio Socratis fit universalis, cum illum ut hominem tantum consideramus: ita notio illa evadet universalior, si eum consideremus ut animal, ac tandem maximam universalitatem acquiret, si eum ut substantiam, vel ut ens indeterminate contemplemur, removendo scilicet gradatim differentias, seu determinationes. Hinc patet, ideas universales ex singularibus ortum habere ope abstractionis. Porro quemadmodum ideae singulares per abstractionem fieri possunt universales; ita inversa operatione ideae universales per compositionem, vel additionem determinationum fieri possunt singulares. Sic idea universalissima Entis per additionem cogitationis repraesentat ens cogitans: si addatur attributum infinitatis, alia suborietur idea singularis, quae Ens cogitans, et infinitum, nempe Deum exhibet.

Corollarium. Ex dictis manifeste colligitur, universale in *essendo*, et *praedicando*, quod Peripateticum vocant, omnino rejiciendum esse. Peripatetici enim nihil aliud per hoc universale intelligebant, nisi naturam quamdam *a parte rei*, idest existentem, quae sit una unitate *formali*, ac proprie dicta, idest unitate numerica, et tamen sit universalis in *essendo*, et *praedicando*, id est sit apta, ut insit multis singularibus, et praedicetur de illis independenter a quacumque operatione intellectus. Id autem refellitur ex dictis. Et primo quidem, natura illa universalis non reperitur *a parte rei*, idest non existit; quicquid enim existit, singulare est. Secundo natura illa universalis non est una unitate *formali*, seu numerica; alioquin natura humana ex: gr: esset eadem numero in omnibus hominibus, quod est absurdum; sed est una unitate *fundamentali*, ut ajunt, idest unitate generica, vel specifica, quae quidem improprie dicitur unitas, ut cuique patet.

Articulus III.

De Mentis Praecisione, ubi de Distinctione.

Ea pollet mens facultate, ut considerare possit divisim, quae revera divisa non sunt, hoc est unam eandemque ideam in plures alias dividere, quae repraesentent divisim ea omnia, quae in illa idea elucescunt. Hic cogitandi modus in Scholis Praecisio vocatur, et nimium menti nostrae familiaris est. Cum enim finita sit, ac limitata, utique uno, ac simplicissimo intuitu rem cum omnibus suis attributis non potest distincte concipere. Hanc ob rem necesse est, ut illam per plures diversas ideas inadaequatas inspiciat, atque perpendat; ut hac ratione, omnibus simul comparatis, clara, et distincta ejus rei idea in mente suboriatur.

Sed ut paulo clarius explicemus diversas praecidendi rationes, quibus in rite percipiendis objectis mens nostra utitur, sciendum est omnia objecta triplici ex capite inter se distingui posse, nempe realiter, modaliter, et per intellectum, seu rationem. Quare tria communiter statuuntur distinctionum genera, nimirum, realis, modalis, et rationis.

Distinctio realis est, quae intercedit inter duas, aut plures res, seu substantias: veluti inter lapidem, et lignum; inter aurum, et argentum; inter corpus, et animam.

Distinctio modalis est duplex: una quidem intercedit inter substantiam, et ejus modum, seu attributum aliquod accidentale, veluti inter ceram et ejus rotunditatem; quae dicitur etiam distinctio realis minor, ut a praecedente distinguatur, quae realis major nuncupatur: altera vero est, quae intercedit inter duos, aut plures modos unius, ejusdemque substantiae, quorum unus remanere potest in substantia sine altero; veluti inter rotunditatem, et motum ejusdem cerae.

Distinctio denique rationis item duplex statuitur: una inter substantiam, et aliquod ejus attributum essentiale; veluti inter corpus, et ejus divisibilitatem: altera vero inter duo attributa essentialia unius, ejusdemque substantiae; puta inter Justitiam, et Misericordiam in Deo.

Haec distinctio rursus vel dicitur rationis ratiocinatae,

vel rationis ratiocinantis. Distinctio rationis ratiocinatae, sive, ut ajunt Scholae, cum *fundamento in re*, tunc habetur, cum mens in una eademque re plura concipit tamquam distincta, propterea quod res illa ejus naturae sit, ut pluribus aequivalcat, sive ut veluti plura continere in se ipsa videatur. Talis est distinctio, quae inter Justitiam, et Misericordiam Dei a nobis concipitur. Cum enim Deus non semper in homines animadvertat, sed etiam saepenumero illorum misereatur, occasionem hinc sumit mens diversas in Deo virtutes concipiendi; licet hae virtutes non sint quid diversum a Deo ipso, qui unico, ac simplicissimo suae voluntatis actu omnes hos effectus producit.

Distinctio autem rationis ratiocinantis ea est, quae tota ab ipsa mente in rebus fingitur, quin ullum penitus fundamentum in illis habeatur: ut si quis indumentum a vestimento distingueret. Haec autem distinctio nulla est, uti patet; nam mutatio nominis ideam non mutat.

Porro juxta triplex hoc genus distinctionum tripliciter etiam mens nostra praecisionis ope res, seu objecta cognoscit. Primo nempe cum ex duabus, aut pluribus rebus realiter distinctis inter se, unam tantum considerat aliarum omissa contemplatione, ut cum in homine mentem consideramus, nihil cogitando de corpore; vel cum partem corporis contemplamur, nihil attendendo ad reliquas partes.

Secundo cum earum rerum, quae modaliter tantum distinguuntur, unam tantum mens considerat, aliasque ceteras praetermittit, et nihil ad eas attendit; ut cum colorem, aut rotunditatem contemplamur, nec attendimus ad substantiam materialem, quae colorata est, aut rotunda; vel etiam cum in eadem re colorem seorsim a rotunditate consideramus.

Tertio denique cum sigillatim mens expendit ea, quae nonnisi per distinctionem rationis a se mutuo distinguuntur; ut cum in corpore prius extensionem, deinde divisibilitatem, et impenetrabilitatem, aliaque ejus attributa essentialia consideramus; vel cum in Deo prius contemplamur Aseitatem, seu Independentiam, tum attendimus ad Bonitatem, Justitiam, Misericordiam, et alia Ejus essentialia attributa.

Hinc facile est intelligere, postremam dumtaxat praecidendi rationem menti tribuendam esse, cum ipsa sola

tota quanta est a mente dependeat. Et sane quoad primam, liquido patet, etiam sine mentis interventu rès, quae separatim considerantur, a se mutuo distingui. Nullo enim intellectu cogitante, in homine ex: gr: tam mens a corpore, quam in corpore humano brachium a ceteris partibus realiter distinguitur; et si non actu, saltem potentia sunt a se mutuo separata.

Quod vero spectat ad secundam, patet eam non omnino esse ex parte mentis, sed habere etiam aliquod fundamentum a parte rei, ut Scholae loquuntur. Nam etsi modi existere nequeant a subjecto separati, ipsa tamen substantia potest optime esse sine iis modis.

Jam vero cum ad explicandos varios praecidendi modos, varia etiam distinctionum genera adhibuerimus, hanc ob rem silentio praetermittenda non est alia distinctionis species, quam subtilissimus Scotus excogitavit, atque ut a ceteris secerneret, *formalem* vocavit *ex natura rei*: Formalem quidem, eo quod non sit inter duas substantias, sed vel inter substantiam, et ejus formas, seu perfectiones, vel inter substantiae ejusdem varias formas, seu perfectiones: *ex natura* vero *rei*, quod sit in re ipsa, et ante omnem mentis cogitationem. Ex quo sequitur, Scoti distinctionem cum tribus illis modo expositis non nihil convenire. Nam quatenus formalis est, et intercedit vel inter substantiam, ejusque formas, vel inter plures formas ejusdem substantiae, videtur plane convenire cum distinctione modali, et rationis; eo quod formae illae non aliud esse possint, quam substantiae attributa sive essentialia, sive accidentalia: in eo vero, quod constituitur ex natura rei, et ante omnem mentis cogitationem, distinctionis realis naturam sapere videtur, quippe quae nullo modo a mente dependet.

Sed ex hoc ipso, quod distinctio isthaec Scotica tres illas simul complecti videtur, absurda, ac penitus impossibilis sit, necesse est. Nam, ut dictum est, sola attributa sive essentialia, sive accidentalia possunt esse formae unius, ejusdemque substantiae. Haec autem non ex natura rei, sed per aliquam mentis nostrae operationem distinguuntur: etenim tam essentialia, quam accidentalia attributa clare, et distincte non possunt concipi sine relatione vel ad ipsam substantiam, cui insunt, vel ad aliam quamlibet, cui inesse possunt.

Scholium I.

Abstractio in hoc differt a praecisione, quod nos per abstractionem removendo ab ideis rerum singularium proprias differentias, et determinationes, efformamus ideas universales: praecisionis autem opera alicujus rei proprietates aliàs ab aliis seorsum consideramus. Verum Philosophi parum solliciti sunt de hac differentia, et abstractionis, ac praecisionis nomina confundunt.

Scholium II.

Distinctio non debet confundi cum separatione, ac diversitate: quaedam enim distinguuntur, quae separata non sunt, ut in homine corpus, et anima: item distinguuntur, et separantur, quae tamen diversa non sunt, ut duo parietes per albedinem similes. Hinc dici solet: distinctio est negatio identitatis; separatio est negatio unionis; diversitas est negatio similitudinis.

Scholium III.

Quoniam ea, quae in rebus existunt veluti earum attributa, et modi, aut etiam veluti earum relationes ad res alias, repraesentari possunt vel ut rebus ipsis inhaerentes, vel sigillatim tamquam ab ipsis rebus separatae; hinc ideae dividi etiam possunt in abstractas, et concretas. Idea abstracta ea est, quae aliquid subjecto inhaerens repraesentat sine ea re, cui inhaeret; concreta vero ea vocatur, quae aliquid subjecto inhaerens repraesentat, ut rei ipsi inhaerens. Ex: gr: si color consideratur sine subjecto, cui inhaeret, ut color nivis sine nive, abstracta est notio; sed si subjectum consideretur ut coloratum, veluti nix alba, notio concreta est. Hinc terminus abstractus dicitur, qui notionem abstractam significat, ut albedo; terminus autem concretus, cui notio concreta subjecta est, ut album. In abstractione consideramus rerum modos, attributa, relationes, ubi haec omnia substantiarum instar concipimus. Quare abstracta efferri solent nominibus substantivis, ut lux, albedo, doctrina, etc: concreta vero adjectivis, veluti lucidus, albus, doctus, etc.

Scholium IV.

Ideae universales, quae ex aliqua singulari idea abstractionis ope gradatim eruuntur, gradus Metaphysici appellantur in Scholis: ut respectu Petri ex: gr: homo, animal, vivens, corpus, substantia. Vocantur quidem gradus, quoniam alii aliis sunt superiores, seu magis universales, et ad plura pertinentes; alii inferiores, minusque extensi. Metaphysici vero, hoc est per mentem praecisi et abstracti ab individuis; nam quicquid hoc modo praecisum est, seu abstractum, vocatur Metaphysicum. Quaeritur autem an, et quomodo gradus isti in aliquo individuo cum inter se, tum ab ipso individuo distinguantur. Pro quo est supponendum, triplicis rationis essentia, vel nempe mere spiritualia, ut sunt Deus, et Angeli; vel mere corporea, ut sunt lapis, lignum, etc; vel mixta, cujusmodi sunt homines. His positis,

Dico primo, gradus Metaphysicos rerum plane spiritualium, aut plane corporearum nec inter se, nec ab individuo, in quo sunt, realiter distingui, sed vel modaliter, vel ratione. Nam cum gradus isti non aliud sint, quam rerum plane spiritualium, aut plane corporearum attributa sive accidentalia, sive essentialia in abstracto considerata, certe nulla inter ea distinctio realis intercedit, sed vel modalis, vel rationis.

Secundo in homine, qui partim spiritualis est, partim corporeus, gradus Metaphysici corporei a spiritualibus realiter distinguuntur. Num gradus corporei, et spirituales in homine sunt quid idem, ac partes revera distinctae. Ex: gr: corporeitas est quid idem, ac corpus; spiritualitas est quid idem, ac spiritus. Igitur in homine, qui partim spiritualis est, partim corporeus, gradus metaphysici corporei a spiritualibus realiter distinguuntur. Qui plura de hac re scire desiderat, adeat Edmundum Purchotium in exerc: ont: disp: 3. quaest: 4

CAP. V.

De Idearum Signis, seu Vocibus, earumq: Usu.

Signum est id, cujus idea excitat ideam alterius: ex. gr. lacrymae sunt signum tristitiae; ex his enim colligi-

tur adesse tristitiam. Id vero, cujus idea alterius idea excitatur, dicitur signatum; ex. gr. tristitia per lacrymas; laetitia per risum significata.

Si res, quae significatur, praesens est, tunc signum dicitur demonstrativum; si futura res significatur, appellatur signum prognosticum; si vero res praeterita significata est, signum vocatur rememorativum.

Signum porro dividitur in necessarium, seu naturale, et arbitrarium, seu artificiale. Signum necessarium est, inter quod, et rem significatam nexus est necessarius. Signum vero arbitrarium est, quod cum re significata non necessario nexu cohaeret, seu quod ab arbitrio hominis dependet. Ex: gr: fumus est signum necessarium ignis; notae, quibus Arithmetici ad designandos numeros utuntur, sunt signa arbitraria.

Idearum nostrarum signa sunt voces; ea enim de causa sunt institutae, ut interna animi sensa aliis aperirentur. Definitur propterea vox: sonus articulatus ab homine prolatus, ad exprimendas animi cogitationes institutus. Hinc ex iis, quae hactenus de diversitate idearum dicta sunt, facile colligi potest, quid dicendum sit de vocum diversitate.

Voces autem esse notionum signa arbitraria, constat inter omnes. Et quidem si voces natura sua aliquid significarent, fieri non posset, ut eaedem res a diversis gentibus per diversas voces significarentur. At quamvis penes nos sit, qua voce quamque rem designare velimus: tamen quia voces ideo adhibemus, ut alii, ad quos verba facimus, intelligant, circa vocum usum sequentes regulae servandae sunt.

Primo nulla vox adhibeatur, nisi cui subjecta sit sententia, et notio: si enim vox inanis erit, nihil significabit, adeoque non erit cogitationum index. Secundo voces ambiguae, itemque impropriae, et metaphoricae non adhibeantur, nisi quae sit illarum sententia, ac potestas vel fuerit definitum, vel facile dignoscatur. Tertio iisdem vocibus eaedem semper notiones subjiciantur. Quarto usitatis vocibus novus sensus non affigatur; neque nova inducantur vocabula, nisi alii praemoneantur.

CAP. VI.

De Definitione, et Divisione.

Definitio est oratio, quae quid sit id, de quo agitur, ostendit quambrevissime, ex Cic: in Orat: cap: 33. Est autem duplex, nominis scilicet, et rei. Definitio nominis est quae statuit quid per nomen intelligatur: ut si dicam; nomine trianguli intelligo figuram planam tribus rectis comprehensam. Definitio rei est oratio naturam rei explicans: ea vero vel accidentalis est, vel essentialis. Essentialis est, quae fit vel per attributa rei essentialia, seu genus, et differentiam, veluti, homo est animal rationale: vel per partes rei essentiales, veluti, homo est compositum ex corpore, et anima rationali. Accidentalis vero, seu descriptiva, quae rem explicat per varia accidentia, quae singula quidem aliis conveniunt, juncta vero soli definito. Hac liberius utuntur Rhetores, parcius Philosophi: hujusmodi est Famae, et Polyphemi descriptio apud Virgilium.

Definitio oportet 1. ut aeque pateat, ac ipsum definitum, adeoque possit reciprocari. 2. ut brevis sit, modo non sit manca. 3. ut constet notioribus re definita; alioquin ea non aperiet quid res sit, sed implicabit magis. 4. ut fiat per proximum genus, et propriam differentiam.

Divisio est in partes suas totius distributio. Est autem vel actualis, vel potentialis, prout totum quod dividitur vel actuale est, vel potentiale. Totum actuale dicitur, si partes suas actu in se continet; physicum quidem, si partes illae physice, seu realiter sint distinctae; ita homo totum physicum dicitur respectu animae, et corporis, quae sunt partes hominis realiter distinctae: metaphysicum vero, si partes ipsae metaphysicae fuerint, hoc est si distinctae non sint realiter, sed tantum per mentem; ut hominis alia pars est animalitas, alia rationalitas: integrale denique cum in toto considerantur partes illae, quae non ad essentiam totius, sed ad illius integritatem et perfectionem pertinent, quae partes integrales, vel integrantes dicuntur; ut hominis alia pars est caput, alia cervix, brachia etc. Totum potentiale, quod etiam universale, et logicum vocant, est genus respectu specierum, et species respectu individuorum, quae considerantur ut illius par-

tes. Dicitur autem potentiale, quia partes illas non habet actu in se, sed sub se potentia quadam, quatenus in illas dividi potest.

Leges, quae servari debent in divisione, sequentes sunt. 1. partes divisionis debent adaequare totum, et totum partes: quare mala esset divisio Terrae in Europam, Asiam, et Africam; superest enim America. 2. pars una non contineat alteram: hinc male divideretur Terra in Africam, Asiam, Americam, Europam, et Italiam; Italia enim in Europa continetur. 3. ne fiat divisio in membra nimis magna: quibus ea confundantur, quae distingui oportet; veluti si quis corpora distribueret in ea, quae sunt in Terra, et ea, quae sunt extra Terram. 4 neque etiam fieri debet divisio in partes nimium minutas; idem enim habet vitii nimia, quam nulla divisio, et simile confuso est quicquid in pulverem usque sectum est, ut ad rem Seneca. 5. Divisio gradatim, et per membra proxima procedat.

FINIS PRIMAE PARTIS.

PARS SECUNDA.

CAPUT PRIMUM.

De Natura Judicii, et Propositionis.

Cum intellectus binas comparat ideas, easque vel convenire inter se, vel repugnare percipit, dicitur judicare. Ita ex: gr: si ideam Dei cum idea optimi conferentes, Deum esse optimum percipiamus, judicare dicimur. Quocirca judicium definiri potest: perceptio relationis, quae intercedit inter duas, aut plures ideas.

Hinc patet 1.° Judicium ad intellectum, non ad voluntatem pertinere. 2.° Ex pluribus ideis minime componi, sed esse simplicem mentis actum, quo nimirum convenientiam, vel repugnantiam duarum, vel plurium idearum percipimus.

Judicium verbis expressum dicitur propositio, vel enunciatio, quae definitur: oratio, quae aliquid de aliquo enunciat affirmando, vel negando. Affirmare dicimur, si unam ideam alteri convenire indicamus; negare vero, si unam ideam alteri repugnare significamus. Quare in propositione tria sint oportet: subjectum nimirum, seu id, de quo aliquid enunciatur; praedicatum, seu id, quod de aliquo enunciatur, quod dicitur etiam attributum; et verbum, quod praedicatum subjecto convenire, aut repugnare declarat. Praedicatum autem subjecto convenire, declaratur per verbum *est*; cui si particula *non* praefigitur, praedicatum subjecto repugnare indicatur. Verbum in Scholis appellatur copula; quippe medium inter subjectum, et praedicatum ea conjungit, aut separat Subjectum vero, et praedicatum vocantur etiam termini, et extrema, eo quod propositio ab his utrinque clauditur, et terminatur.

Verum quamvis in propositione tria haec concurrant, necesse sit: tamen quia verba adjectiva per substantivum in suas partes resolvuntur, et pronomina reticeri possunt, utpote in verbis comprehensa; hine fit, ut binae voces, aut etiam una propositionem quandoque constituat. Veluti si dicam: mens cogitat; quod idem va-

let, ac mens est cogitans: vel, cogito; quod perinde est, ac si dicam, ego sum cogitans.

CAP. II.

De Propositionis Divisione.

Propositio in varias species dividi potest, prout varie consideratur. Considerari autem potest vel ratione materiae, vel ratione quantitatis, vel ratione qualitatis. Materia propositionis sunt illius termini: quantitas vero extensio notionis in subjecto: qualitas tandem illius affirmatio, aut negatio.

Articulus I.

Divisio Propositionis ratione Materiae.

Propositio, quod ad illius materiam attinet, est aut simplex, aut complexa, aut composita. Simplex dicitur, quae unico subjecto, et praedicato constat: veluti, Deus est Omnipotens.

Complexa est, quae praeter propositionem principalem, aliam incidentem complectitur; quae quidem incidens vel determinat subjectum, et dicitur determinativa, seu definitiva; vel explicat, aut ornat subjectum, et dicitur exornativa, aut explicativa. Primi generis est: Triangula, quae sunt isoscelia, habent angulos ad basim aequales: *quae sunt isoscelia*, est incidens determinativa. Alterius generis est: Achilles, qui fuit filius Thetidis Marinae, Hectorem devicit: *qui fuit filius Thetidis Marinae*, est incidens explicativa.

Propositionis complexae veritas, aut falsitas non pendet ab incidenti explicativa; quae falsa esse potest, quin veritati principalis officiat. Contra vero illius veritas, aut falsitas omnino pendet ab incidenti determinativa; haec enim apponitur principali tamquam conditio, sine qua praedicatum ipsi non conveniret; uti patet in exemplis allatis.

Propositio composita est, quae habet aut plura subjecta, aut plura praedicata, aut utrumque simul. Ex: gr: Cicero fuit Philosophus, Orator, et Consul; in qua propositione tria sunt praedicata. Item: nobilitas, divi-

tiae, scientiae solent esse causa Superbiae; in qua sunt tria subjecta. Tum: odium, et amor sunt utilia, et noxia; in qua sunt duo subjecta, et duo praedicata.

Compositio autem propositionis aut est aperta, aut latens. Propositiones, quae apertam compositionem continent, ad sex classes referri solent, copulativas scilicet, disjunctivas, conditionales, causales, discretas, et relativas.

Propositio copulativa, sive conjuncta est illa, cujus partes copulantur per particulas copulativas et, *atque*, *nec*, etc. Hujusmodi est illud Ovidii Lib: 2. Metam: *Non bene conveniunt, nec in una sede morantur Majestas, et amor.* Ad veritatem hujus propositionis requiritur, ut singulae illius partes sint verae. Haec propterea est falsa: Cicero fuit philosophus, et Orator, et Medicus; quia licet Cicero fuerit philosophus, et orator, numquam tamen medicus fuit.

Propositio disjunctiva dicitur, quae plures habet partes disjunctivis particulis *aut*, *vel*, etc. separatas, quarum una tantum disjunctim, et indeterminate affirmatur, aut negatur. Ex: gr: Omnis magnitudo aut aequalis est, aut major, aut minor alia ejusdem generis magnitudine; cujus quidem propositionis una tantum pars a me affirmatur, sed indeterminate. Ut vera sit propositio disjunctiva 1.° illius partes debent esse repugnantes, ita ut una tantum possit esse vera; quare sequens falsa est: Figura aut est plana, aut circularis; non enim repugnat eandem figuram esse planam, et circularem. 2.° Partes hujus propositionis nihil medium admittere debent: ideo sequens: Omne animal est aut homo, aut equus, falsa est; nam praeter homines, et equos sunt aliae species brutorum animalium.

Propositio conditionalis, seu hypothetica continet duas partes, quarum altera a praejacente conditione pendet. Ex: gr: Si est honestum, est bonum: prior pars, ea scilicet, cui adhaeret particula *si*, dicitur antecedens; altera vero, quae a priore pendet, consequens, vel sequela vocatur. Veritas propositionis conditionalis non a veritate partium, sed a recta illarum conjunctione unice dependet. Nimirum vera est conditionalis propositio, si verum esse nequit antecedens, quin verum sit consequens; licet utrumque, si absolute spectentur, sit falsum. Sic ista est vera; Si homines haberent alas, volare possent. At e contrario haec est falsa: Si Petrus currit,

est homo; quia ex positione cursus minime seqnitur, humanitatem in Petro reperiri.

Causalis propositio vocatur illa, cujus partes sunt simul unitae per particulam causalem *quia*, vel aliam hujusmodi, ita ut una ponatur pro causa alterius. Veluti si dicam: studeo, quia scire cupio. Ut vera sit propositio causalis, necesse est, ut una pars sit vera causa alterius, secus propositio erit falsa; ut ista, Homo vivit, quia est substantia; ratio enim substantiae non est causa, cur homo vivat.

Propositio discreta est, quae continet duo judicia de eodem subjecto, quorum unum affirmans sit, alterum negans. Ex: gr: illud Hor: lib. I. Epist: XI. v. 27. Caelum, non animum mutant, qui trans mare currunt. Veritas hujus propositionis consistit in ambarum partium oppositione, et veritate.

Propositio relativa, sive relata est illa, cujus una pars ad alteram refertur. Hujusmodi est celebre illud Thaletis: Qualem gratiam parentibus tuis retuleris, talem a liberis tuis expecta. Veritas hujus propositionis ab accurata comparatione dependet. Quare haec fasa est: libri tanti aestimandi sunt, quantum ponderis habent; non enim pretium libris decerni debet ex illorum pondere.

Propositiones latentem compositionem habentes ad quinque classes referri solent. Sunt enim aut exclusivae, aut exceptivae, aut comparativae, aut inceptivae, aut desitivae.

Propositio exclusiva est illa, in qua aut subjectum excludit omne aliud praedicatum, aut praedicatum excludit omne aliud subjectum. Prima dicitur de praedicato excluso; altera de subjecto excluso. Ex: gr: Deus tantum est omnipotens, dicitur propositio de subjecto excluso, quia praedicatum *Omnipotens* ita enunciatur de Deo, ut excludatur omne aliud subjectum. Linea est magnitudo tantum longa, dicitur propositio de praedicato excluso; quia enunciatur ita, ut excludatur omne aliud praedicatum. In his autem compositionem latere nemo non videt. Vera censenda est haec propositio, si quae excluduntur, recte excludantur.

Propositio exceptiva est, in qua praedicatum ita enunciatur de subjecto, ut pars aliqua subjecti excipiatur. Ex: gr: Omnia sunt mortalia praeter spiritus; quae sane propositio duas complectitur; tum spiritus sunt immortales;

tum cetera sunt mortalia. Vera est haec propositio, si quae excipiuntur, recte excipiantur.

Propositio comparativa est ea, in qua instituitur comparatio inter duas res, quarum una eadem qualitate plenius est praedita, quam altera, quaeque propterea semper duas propositiones continet. Ex: gr: Achilles fuit fortior Hectore: ubi quidem duo affirmantur, et Achillem, fuisse fortem, et ipso Hectore fortiorem. Ad veritatem hujus propositionis requiritur, ut ea, quae conferuntur, commune habeant praedicatum, in quo comparantur.

Propositio inceptiva significat principium alicujus rei; desitiva vero finem. Ex: gr: Saul fuit primus Rex Judaeorum; Tarquinius Superbus fuit ultimus Rex Romanorum. Omnis propositio inceptiva continet desitivam rei alterius, et desitiva inceptivam; ideoque ambae sunt compositae.

Articulus II.

Divisio Propositionis ratione Quantitatis.

Propositio quod ad quantitatem spectat, vel Singularis est, vel Particularis, vel Universalis, prout illius subjectum vel singulare est, vel particulare, vel universale. Ex: gr: Petrus est Geometra: aliquis homo est philosophus: omnis homo est rationalis. Prima singularis est, secunda particularis, tertia universalis.

Propositio autem universalis vel metaphysica est, vel moralis. Metaphysica dicitur, quae nullam exceptionem admittit: ut omnes circuli radios suos habent aequales. Moralis vero, quae aliquam patitur exceptionem: ut omnes Cretenses sunt mendaces. Nonnumquam propositio est universalis, licet species omnes, non autem singula specierum individua, vel partes intelligantur; veluti cum dicitur: Omnia animantia in Arca Noe diluvii aquas evaserunt.

Si propositio nullum quantitatis signum praeseferat, dicitur indefinita; veluti, senex est morosus. Ut autem harum propositionum quantitas dignoscatur, sequentes regulae tradi solent a Logicis.

*Regula 1.*ª Propositiones indefinitae in materia necessaria, ut ajunt, per se, et natura sua sunt semper ut universales metaphysicae accipiendae. Materia autem pro-

positionis dicitur necessaria, cum attributum, seu praedicatum est de essentia subjecti, ut paulo post dicetur. Ex: gr: Corpus est extensum, homo est rationalis, sunt propositiones indefinitae in materia necessaria, quia attributa sunt de essentia subjectorum; ac proinde suapte natura universales metaphysicae.

*Regula 2.*ª In materia fortuita, seu contingente propositiones indefinitae sumendae sunt ut particulares, ad summum ut universales morales, non tamen metaphysicae. Dicitur vero materia fortuita, cum attributum non est de essentia subjecti, sed est accidens. Ex: gr: homo est geometra; corpus est rubrum, cycnus est albus; sunt propositiones indefinitae in materia fortuita, seu contingente, quia attributa non sunt de essentia subjectorum; proindeque hujusmodi propositiones vel particulares sunt, vel ad summum universales morales.

Articulus III.

Divisio Propositionis ratione Qualitatis.

Propositio secundum qualitatem spectata dividitur in affirmantem, et negantem. Prima subjecto praedicatum adjungit, altera removet. Ubi advertendum est, propositionem tunc solummodo esse negativam, cum particula *non* ad copulam refertur; quod si ad subjectum, vel praedicatum referatur, propositio erit affirmativa. Ex: gr: haec propositio, non extensum est non corpus, est affirmativa. Contra vero haec, corpus non est cogitans, est negativa.

Ut propositionis tam affirmantis, quam negantis valor dignoscatur, sequentes regulae a Logicis tradi solent.

*Regula 1.*ª In propositione affirmante praedicatum subjecto adnectitur in tota illius comprehensione, non vero extensione. Sic dum ajo, Petrus est homo, affirmo de Petro quicquid in idea hominis comprehenditur, non autem omnia, ad quae illa extenditur.

*Regula 2.*ª In propositione negante praedicatum in tota sua extensione divellitur a subjecto, et vicissim; quamvis aliquid, quod in eorum comprehensione continetur, comune habeant. Ita in hac propositione, lapis non est vivens, negatur de lapide omne id, ad quod extenditur ratio viventis; et vicissim; quamvis ambo conveniant in ratione

substantiae, quae in eorum comprehensione continetur.

Regula 3. In propositione affirmativa si extensio praedicati absolute sumti major fuerit extensione subjecti, praedicatum non sumitur secundum integram suam extensionem sed secundum partem dumtaxat, scilicet secundum tantam extensionem, quanta sufficiat ad aequandam extensionem subjecti; ita ut extensio subjecti sit veluti mensura extensionis praedicati. Hinc

Regula 4. Praedicatum in propositione affirmante fere semper sumitur particulariter. Nam praedicatum fere semper latius extenditur, quam subjectum: sed praedicatum in propositione affirmante sumi debet secundum tantam extensionem, quantam habet subjectum: ergo non sumitur universaliter, sed particulariter. Dixi autem fere semper; quia fieri potest, ut praedicatum tantam extensionem habeat, quantam habet subiectum: ut in hac propositione, omne corpus est solidum; et tunc praedicatum non sumitur particulariter, sed universaliter.

Regula 5. Praedicatum in propositione negante semper sumitur secundum integram suam extensionem, nempe universaliter. Ita dum dico, lapis non est vivens, praedicatum *vivens* sumitur secundum integram suam extensionem: non enim ratio viventis negari potest de lapide, quin ea omnia a lapide removeantur, ad quae extenditur idea viventis; alioquin lapis esset simul vivens, et non esset, ut est manifestum.

CAP. III.

De Nonnullis aliis Propositionum Speciebus

Praeter propositiones hactenus relatas, quamplures aliae numerantur a Logicis. Nos vero praecipuas recensebimus, quas, ne divisionum multitudine memoria obruatur, in unum locum conjicere visum est.

I. Igitur propositio vel necessaria est, vel contingens. Necessaria dicitur, quando praedicatum necessario convenit subjecto, si propositio sit affirmans, vel illi necessario repugnat, si sit negans. Dicitur vero contingens, quando relatio praedicati ad subjectum omnino contingens est, adeo nempe, ut nulla in eo sit repugnantia, quod subjectum aliter reipsa se habeat, ac in propositione enunciatur. Ita necessaria est haec propositio: ho-

mo est rationalis; haec vero contingens: Petrus est doctus: quia rationalitas necessario homini convenit, at nonnisi contingenter Petro inest doctrina. Propositio necessaria dici etiam solet essentialis; et contingens accidentalis.

II. Propositio vel mediata est, vel immediata. Propositio mediata vocatur illa, in qua praedicatum non competit subjecto, nisi ratione alterius attributi, quod primo in ipso subjecto continetur: contra vero immediata, in qua praedicatum ita convenit subjecto, ut aliud assignari nequeat attributum in subjecto, ratione cujus illud ipsi subjecto conveniat. Sic immediata est haec propositio, homo est rationalis; quia nihil habetur in homine, ratione cujus ei competat rationalitas: at vero ista mediata est, homo est admirativus; quia homo non est hujusmodi, nisi quia ratione donatur.

III. Propositio vel identica est, vel restrictiva. Propositio identica est illa, in qua praedicatum ita identificatur cum subjecto, ut nullo prorsus modo ab illo differat: uti cum dicitur: homo est homo; quicquid habet partes, illud quoque gaudet multitudine partium. Hujusmodi propositiones vocantur etiam nugatoriae. Advertendum tamen est, Logicos docere, praedicatum propositionis affirmantis identificari cum subjecto, sive fieri quid idem, ac subjectum. Ita cum dicitur, Socrates est homo, sensus est, Socratem esse hunc hominem, nempe Socratem ipsum; et tamen non omnis propositio affirmans dici debet identica, sed ea tantum, in qua praedicatum est idem omnino, ac subjectum, ut patet in exemplis allatis. Propositio vero restrictiva est ea, in qua praedicatum per particulas restrictivas *quatenus, prout, in quantum, quoad*, in subjecto restringitur et indicatur id, ratione cujus praedicatum illi convenit, vel repugnat; ex: gr: homo quoad animam est incorruptibilis. Hujusmodi propositio dicitur etiam reduplicativa. Illud autem advertendum est, veritatem scilicet restrictivae propositionis exigere, ut attributum, quod particula restrictiva afficitur, sit vera ratio, cur praedicatum conveniat subjecto, vel illi repugnet. Haec idcirco falsa est: homo quatenus animal, ratiocinetur; quia animalitas non est ratio, cur homo ratiocinetur.

IV. Propositio est vel absoluta, vel modalis. Absolut, dicitur propositio, si minime in illa exprimatur modus, quo praedicatum se habet ad subjectum. Modalis vero,

si modus exprimatur. Ita haec propositio est absoluta, Petrus est doctus: modalis vero est haec alia, Petrus est contingenter doctus. Modos autem propositionum ad quatuor retulit Aristoteles, nempe necessarium, fortuitum, possibile, impossibile. Igitur refert plurimum, quo propositionem, modo proferas. Nam si fortuita enuncies necessario, aut necessaria fortuito, aut possibilia impossibiliter, aut impossibilia possibiliter; propositiones erunt falsae. Ita haec propositio: fortasse circulus radios omnes habet aequales, falsa est; nam radiorum aequalitas, quae circulo necessaria est, enunciatur de illo fortuito. Item hae propositiones: necesse est homines esse nigros; impossibile est inter nos hyeme non ningere; possibile est aquas non decurrere per declives terras, omnes falsae sunt. In prima enim, quod est fortuitum, enunciatur necessario; in secunda vero, quod est possibile, enunciatur impossibiliter; in tertia tandem, quod est impossibile, enunciatur possibiliter. Sunt etiam alii modi propositionum, nimirum facile, difficile, et omnia reliqua adverbia; quorum modorum omnium veritas a conjunctione modi cum re, quam modificat, dijudicanda est.

V. Propositio est vel indemonstrabilis, vel demonstrativa. Propositio indemonstrabilis ea dicitur, in qua terminis intellectis, statim nobis patet, praedicatum subiecto convenire, vel repugnare. Propositio vero demonstrativa dicitur illa, in qua non statim patet convenientia, vel repugnantia subjecti cum praedicato, sed innotescit ope tertiae cujusdam ideae. Sed de hoc fusius in tertia parte Logicae.

VI. Propositio vel theoretica est, vel practica. Propositio theoretica est, in qua simpliciter affirmatur, aut negatur aliquid subjecto convenire: ut, Deus est Sapientissimus. Propositio autem practica est, in qua affirmatur, aut negatur aliquid fieri, aut fieri posse, vel debere: ut cum dicitur, Deus ab homine est amandus. Propositio theoretica indemonstrabilis dicitur axioma; ut, totum est majus sua parte. Propositio theoretica demonstrativa dicitur theorema. Propositio practica indemonstrabilis vocatur postulatum apud Mathematicos; talia sunt postulata Euclidis: a quovis puncto ad quodvis punctum rectam lineam ducere etc. intellectis enim terminis, evidens est id, quod postulatur, fieri posse. Propositio practica demonstrativa, dicitur Problema. Corollaria vero, aut etiam con-

sectaria dicuntur propositiones, quae sine multa ratiocinationum ambage ex aliis propositionibus inferuntur

VII. Demum Propositio dividitur in evidentem, et certam. Propositio evidens dicitur illa, quae sine longa ratiocinatione facile colligitur ex propositionibus indemonstrabilibus. Certa vero dicitur ea, quae nonnisi longa ratiocinationum serie ex propositionibus indemonstrabilibus colligi potest. Illud vero discrimem est inter propositionem indemonstrabilem, et propositionem evidenter demonstrabilem, quod in propositione indemonstrabili veritas evidentia immediata statim fulgeat; in propositione vero evidenter demonstrabili mediata dumtaxat sit evidentia, et ex facili aliarum propositionum serie pendeat. Ex his patet, evidentiam esse relativam, et ex vario ingeniorum captu, eandem propositionem aliis esse evidentem, aliis certam dumtaxat.

CAP. IV.

De Propositionum Affectionibus.

Propositionum affectiones, seu proprietates sunt Oppositio, Subalternatio, Conversio, et Aequipollentia.

Oppositio est repugnantia duarum propositionum ex eodem subjecto, et eodem praedicato constantium. Itaque ut duae propositiones sint oppositae, constare debent ex eodem praecise subjecto, eodemque praedicato; verum una debet esse affirmans, altera negans,

Sunt autem propositiones oppositae vel contrariae, vel subcontrariae, vel contradictoriae. Contrariae dicuntur, si ambae sint universales, sed una affirmans, altera negans; ex: g: omne corpus est grave, nullum corpus est grave. Subcontrariae appellantur; si ambae sint particulares, sed una affirmans, altera negans; ex: gr: quidam homo est philosophus, quidam homo non est philosophus. Contradictoriae demum vocantur, si una universalis sit, altera particularis, quarum una affirmet, altera neget; ex: gr: omnis homo est liber, aliquis homo non est liber. Sed usus invaluit, ut contradictorias dicamus, quarum altera neget, quod ait altera: ut, ego existo, ego non existo.

In propositionum autem oppositione sequentes regulae advertantur, oportet. 1. Propositiones contrariae in ma-

teria fortuita ambae sunt falsae; in materia vero necessaria alterutra tantum esse potest vera. Ex: gr: Omnis homo est avarus, nullus homo est avarus, sunt in materia contingente, et ambae falsae. Sed contra, omne corpus est extensum, nullum corpus est extensum, sunt in materia necessaria, ac proinde alterutra tantum vera 2. Contradictoriarum propositionum in quacumque materia alterutra tantum vera est: ut in hoc exemplo, omnis homo est rationalis, aliquis homo non est rationalis; prima propositio vera est, altera falsa; quia rationalitas cum sit de essentia hominis, de nemine negari potest. In materia vero contingente universalis semper est falsa; nihil enim est, quod si fortuitum sit, generatim affirmari, vel negari possit; uti patet in hoc exemplo: omnis homo est avarus, aliquis homo non est avarus. 3. Subcontrariarum tandem in materia necessaria alterutra tantum esse potest vera, sed in materia fortuita possunt esse ambae verae; ut, quidam homo est prudens, quidam homo non est prudens. Uerum singularium oppositarum, quae contradictoriae etiam vulgo appellantur, perpetuo altera est falsa, altera vera; nam non potest idem simul esse, et non esse: ut, ego existo, ego non existo; Cicero fuit Orator, Cicero non fuit Orator.

Subalternatio est illa propositionum affectio, qua propositio latior, sive majoris extensionis includit propositionem angustiorem, sive minoris extensionis: vel subalternatio est relatio inter propositionem universalem, et particularem, quae idem subjectum, idemque praedicatum habent. Universalis propositio, quae includit particularem, dicitur subalternans; particularis autem propositio, quae sub universali continetur, dicitur subalternata. Ex: gr: Omne animal vivit, et sentit; quoddam animal vivit, et sentit. Subalternatio a nonnullis Logicis pro quarta oppositarum propositionum specie habetur, sed perperam; nam propositiones subalternae non pugnant inter se.

In propositionum autem subalternatione sequentes regulae notandae sunt. 1. Si subalternans est vera, subalternata quoque est vera. Ex: gr: verum est, omne animal vivere: ergo etiam verum est, quoddam animal vivere. 2. Si subalternata est vera, non ideo subalternans quoque erit vera. Ex: gr: verum est, quemdam hominem esse doctum; at non ideo verum est, omnem hominem esse doctum. 3. Si subalternans est falsa, non ideo statim

falsa est subalternata. Ex: gr: falsum est, omnem hominem esse doctum; sed non ideo falsum est, quemdam hominem esse doctum. 4. Si subalternata est falsa, non ideo falsa quoque erit subalternans. Ex: gr: falsum est, quemdam hominem non esse doctum; sed non ideo falsum est, omnes homines non esse doctos. Hae tamen tres ultimae regulae vim habent, si propositiones sint in materia contingente; nam si sint in materia necessaria, veritas, aut falsitas subalternatarum pendet a veritate, aut falsitate subalternantium, et vicissim; uti patet.

Conversio propositionis nihil aliud est, nisi ejusdem mutatio, qua praedicatum fit subjectum, et subjectum vice versa fit praedicatum. Quae autem per hanc conversionem prodit propositio, conversa alterius appellatur. Ex: gr: hujus propositionis: omnis homo est animal rationale, conversa est haec altera: omne animal rationale est homo.

Convertendarum autem propositionum quamvis plures regulae praescribantur a Logicis, tamen omnes ad hanc unam reducuntur; nimirum dum una propositio in aliam convertitur, subjectum, et praedicatum debent retinere in conversa eandem extensionem, quam habebant in convertenda. Ex quo sequitur, conversionem simplicem, cum nempe remanet eadem propositionis quantitas, fieri posse tantum in propositionibus universalibus negantibus, in universalibus affirmantibus, in quibus praedicatum non pateat latius subjecto, et in particularibus affirmantibus; nam in propositionibus primi, et secundi generis praedicatum sumitur universaliter; in propositionibus vero tertii generis praedicatum sumitur particulariter. Hinc cum praedicatum convertendae fiat subjectum in conversa, et retinere debeat eandem extensionem, sequitur, has omnes propositiones converti debere simpliciter, hoc est in alias ejusdem quantitatis. Ex: gr: harum propositionum: omne spirituale non est divisibile; omnis homo est animal rationale; quaedam animalia sunt praedita ratione, conversae sunt: omne divisibile non est spirituale; omne animal rationale est homo; quaedam ratione praedita sunt animalia. At si in affirmantibus praedicatum latius pateat subjecto, nequit propositio simpliciter converti. Ex: gr: hujus propositionis: omnis circulus est figura, conversa generica: omnis figura est circulus, falsa est; ergo ut sit vera, praedicatum debet sumi particulariter, et enunciari hoc modo: quaedam figura est cir-

culus. Ratio est, quia cum praedicatum in convertenda non sumatur secundum integram suam extensionem, cumque in conversa eandem extensionem servare debeat, non potest enunciari universaliter, alioquin secundum integram suam extensionem sumeretur. Hujusmodi conversio dicitur in Scholis conversio per accidens. Cetera, quae traduntur a Scholasticis de conversione per contrapositionem, omittere visum est, tum quia scitu necessaria non sunt, utpote inutilia, tum quia facile revocari possunt ad regulam illam, quam initio statuimus.

Superest Aequipollentia propositionum. Propositiones autem dicuntur aequipollentes, quae verbis quidem discrepant, sed sensum eundem habent. Ex: gr: affectus turbant attentionem; mens turbatur in attendendo ab affectibus. Multa hic operosius, quam par est, a Scholasticis tradi solent; sed ea, utpote levia, et non necessaria, consulto omittimus.

CAP. V.

De sensu, quo accipiendae sunt Propositiones.

Illud quoque sedulo investigandum est, ne erremus in judiciis nostris, quo scilicet sensu accipiendae sint propositiones; multiplex est enim earum sensus. Et 1.° quidem sensus propositionum dividitur in Litteralem, et Spiritualem. De Spirituali, seu Mystico in Sacra Theologia agetur. Litteralis est, quem littera ipsa exprimit, qui rursus dividitur in proprium, et metaphoricum. Sensus litteralis proprius est, quem proprie, et immediate verba significant: metaphoricus vero, cum voces translate accipiuntur. Ita haec propositio a Christo prolata: Ego, et Pater unum sumus, vera est sensu litterali proprio; at haec alia: Ego sum vitis, vos palmites, vera est sensu litterali metaphorico.

II.° Sensus dividitur in realem, seu identicum, et formalem. Ita haec propositio: Justitia Dei est Ejus Misericordia, vera est in sensu reali, et identico; quia revera Justitia Dei est quid idem, ac Ejus Misericordia, nempe est ipse Deus: at falsa est in sensu formali, quia Justitia formaliter sumta, sive secundum conceptum ipsius praecisum ab omni alia forma, vel ut Scholae loquuntur, Justitia reduplicative sumta, sive Justitia qua-

tenus Justitia, non est Misericordia. Nam alius est conceptus Dei punientis, alius Dei miserentis.

III.° Sensus vel materialis est, vel formalis. Materiali sensu consideratur propositio, cum attenditur ad verba, non autem ad rem, quae per verba significatur: consideratur autem sensu formali, cum attenditur ad rem, quae per vocem exprimitur. Ita in hoc apud Senecam Syllogismo: Mus syllaba est, mus autem rodit caseum, syllaba ergo rodit caseum; prima propositio sensu materiali, altera vero sensu formali consideratur.

IV. Dividitur sensus in compositum, et divisum. Hinc aliquando propositio vera est in sensu composito, et falsa in sensu diviso, et vice versa. Ex: gr: haec propositio: qui amat, odisse non potest, vera est in sensu composito, scilicet quatenus componi non potest simul actus amoris cum actu odii opposito: at falsa est in sensu diviso, quia qui odit, etiam dum odit, amandi potentiam conservat; quare potest non amare, et odisse. Huc spectat distractio terminorum, per quam termini referuntur ad aliud tempus, quam quod per verbum videtur indicari. Ex: gr: in hac propositione, caeci vident, subjectum *caeci* distrahitur a tempore praesenti ad praeteritum; nam sensus propositionis hic est: qui modo caeci erant, nunc vident.

V. Demum dividitur sensus in collectivum, et distributivum. Ex: gr: quod dicit Horatius: nos numerus sumus, id verum est in sensu collectivo; nimirum nos omnes, et collective sumti, non singuli seorsim, et distributive accepti, sumus numerus. Contra vero, quod Dido apud Virgilium Æneid: IV: v. 736. ait: Omnibus umbra locis adero, intelligi debet in sensu distributivo, sive singulis locis seorsum, in quibus futurus erat Æneas, non vero omnibus locis simul, et collective spectatis; nam umbra omnibus simul locis adesse non potest.

Finis Secundæ Partis.

PARS TERTIA.

CAPUT PRIMUM.

De Ratiocinio, et Argumentatione.

Tertia mentis operatio est ratiocinium, seu ratiocinatio, quae definitur: Actus intellectus, quo ipse instituta duarum idearum comparatione cum tertia, jungendae istaene sint, an separandae cognoscit. In qua quidem idearum comparatione tria judicia a mente efformantur, cum aliud ex alio ratiocinatione deducit: quorum primum est, quando praedicatum cum tertia adscita idea confertur; alterum, quo eidem subjectum comparatur: postremum vero, quo subjecti cum praedicato connexio colligitur. Quamvis autem in ratiocinio haec tria judicia concurrant, tamen simplex, atque unicus est mentis actus, quo nimirum ex eo, quod duas ideas cum tertia convenire deprehendit, earum percipit nexum, atque relationem.

Ratiocinationis necessitas ex eo in nobis nascitur, quod, cum mens nostra finita sit, et limitata, non potest omnium duarum quarumcumque idearum relationem uno simplicique intuitu attingere. Hinc enim fit, ut tertiam quamdam ideam in subsidium vocare cogatur, easque cum illa comparare, atque simul omnes conferre inter se mutuo. Ita ex: gr: si animam rationalem immortalem esse deprehendere velimus, cum ex sola animae rationalis, et immortalitatis perceptione id minime nobis constet, tertiam ideam, spiritualis nempe substantiae, assumimus; factaque tum animae rationalis, tum immortalitatis cum hac tertia idea comparatione, cum hinc reluceat, immortalitatis attributum in notione substantiae spiritualis contineri, attributum vero spiritualis substantiae in idea animae rationalis comprehendi, inferimus, animam quoque rationalem immortalitatis praerogativa donari; atque ideo illam cum corpore nequaquam in morte dissolvi, cum eoque corrumpi.

Tria propterea in quavis ratiocinatione jure a Logicis

distinguuntur, Antecedens scilicet, Consequens, et Consequentia. Antecedens sunt illa judicia, ex quibus aliud infertur. Consequens est judicium, quod ex aliis deducitur. Consequentia vero, sive illatio, est ipsa Consequentis ex Antecedente consequutio, seu Consequentis cum Antecedente connexio. Antecedens versatur totum in comparatione duarum idearum cum tertia. Consequens vero in comparatione earumdem inter se. Ita in sequenti discursu,

Omnis substantia spiritualis est immortalis:
Anima rationalis est substantia spiritualis:
Ergo anima rationalis est immortalis;

Antecedens sunt duo illa judicia; omnis substantia spiritualis est immortalis; et anima rationalis est substantia spiritualis. Consequens vero est judicium ex illis illatum; nempe anima rationalis est immortalis. Consequentia denique est ipsa deductio, seu consequentis cum antecedente connexio, particula *Ergo* expressa.

Hinc optima est ratiocinatio, si consequens ex antecedente ita sequatur, ut hoc sit veluti illius causa. Profecto relatio duarum idearum ad tertiam in antecedente posita, est veluti principium, ratio, sive causa, cur duae ipsae ideae vel simul conjungantur in consequente, vel a se mutuo separentur. Id ergo necessarió postulat ratiocinatio, ut antecedens, perinde omnino atque causa suum effectum, consequens complectatur, certoque modo contineat.

Argumentatio est ipsa tota interna mentis ratiocinatio verbis expressa. Definitur propterea: Oratio ex pluribus propositionibus constans ea ratione dispositis inter se, ut una ex aliis inferatur. Sicuti enim ratiocinatio judicia plura complectitur; ita argumentatio plures propositiones contineat, necesse est. Non omittendum tamen est, argumentationem, et ratiocinationem promiscue plerumque accipi; eaque haud raro etiam de ratiocinatione intelligi, quae de argumentatione traduntur.

Spectata porro consequentis natura, dividitur argumentatio in affirmativam, et negativam. Prior est, cujus consequens est propositio affirmativa: posterior, cujus consequens est propositio negativa.

CAP. II.

De principiis Generalibus, quibus innititur Argumentatio.

Argumentatio affirmativa generatim duobus innititur principiis. Primum est: Quae conveniunt cum aliquo tertio, conveniunt quoque inter se; id est si duae ideae ea ratione conveniant cum tertia, ut haec affirmari de utraque possit, duae ipsae ideae convenient inter se mutuo, earumque una jure poterit de altera affirmari. Secundum est: Quicquid affirmatur de idea universali sumta secundum integram suam extensionem, affirmari etiam potest de quovis, quod sub illa continetur. Ita si de idea hominis universaliter sumta affirmari potest rationalitas, hoc idem attributum affirmari etiam poterit de quolibet homine. Hoc principium vocant Scholae: dictum de omni.

Argumentatio negativa duobus etiam innititur principiis. Primum est: Si una duarum idearum conveniat cum tertia, cum qua altera non convenit, illae duae ideae componi minime possunt inter se; id est, ut concludatur, duas ideas inter se non convenire, requiritur ut una illarum conveniat cum tertia, altera vero non. Hinc nonnisi perperam inferri posset, duas ideas non convenire inter se, si neutra illarum conveniat cum tertia. Duae enim ideae possunt simul eidem adversari, et tamen non solum non adversari sibi mutuo, verum etiam quammaxime inter se convenire. Ita ex: gr: si anima rationalis, et immortalitas conferantur cum idea substantiae corporeae, ita se habent, ut neque animae rationali insit ratio substantiae corporeae, neque attributum immortalitatis aliquo modo possit corporeae substantiae competere; et tamen anima rationalis, et immortalitas adeo conveniunt inter se, ut simul in uno perfectissime componantur. Secundum principium est: Quicquid negatur de idea universali, sumta secundum integram suam extensionem, negari etiam potest de omni eo, quod in extensione ipsius ideae continetur. Ita si nullus homo natura sua est immortalis, neque Petrus natura sua immortalitatem habebit. Hoc principium appellari solet in Scholis: dictum de nullo.

Haec igitur sunt principia generalia, quibus omnis argumentatio innititur, ad eaque revocantur regulae omnes, quas deinceps trademus. Argumentationis autem species septem numerantur a Logicis, nimirum Syllogismus, Enthymema, Epicherema, Prosyllogismus, Dilemma, Sorites, et Inductio. De his sigillatim.

CAP. III.

Articulus I.

De Syllogismo.

Cum ex Syllogismo reliquae omnes argumentationis species veluti a supremo capite pendeant, in eumque facile resolvi possint, ipsa rei natura postulat, ut in illis sigillatim expendendis exordium a syllogismo sumatur. Est itaque syllogismus: Oratio tribus terminis constans, totidemque propositiones complectens ea lege dispositas, atque connexas inter se, ut quae posteriore in loco est, ex prioribus, perinde ac effectus a sua causa, derivetur, ut:

Omne cogitans est spirituale;
Omnis mens est cogitans;
Ergo omnis mens est spiritualis.

Dixi autem syllogismum tribus constare terminis, totidemque propositiones continere; cum enim in eo posita sit ratiocinationis natura, ut ex nota relatione duarum idearum cum tertia inferatur relatio earundem inter se, quae antea latebat, manifestum efficitur, tres terminos, totidemque propositiones in perfecta argumentatione requiri. Verum non est necesse, ut termini plane simplices sint; possunt enim non solum esse complexi, verum etiam integram propositionem continere, ut in hoc syllogismo aperte constat:

Omne, quod caret partibus separabilibus, interire partium separatione non potest:
Anima rationalis caret partibus separabilibus.
Ergo anima rationalis interire partium separatione non potest.

Neque enim terminorum complexio impedit, quominus tres tantum sint ideae, quae inter se mutuo comparan-

tur; aut tria tantum sint judicia, quorum postremum ex prioribus deducatur.

Propositiones in syllogismo, ex quibus alia infertur, illius praemissae dicuntur; ea vero, quae ex illis colligitur, ejusdem conclusio, et vulgo consequentia vocatur. Prima praemissarum dicitur major, et secunda minor; quia illa praedicatum conclusionis, quod majus extremum, haec vero conclusionis subjectum, quod minus extremum vocari solet, complectitur. Subjectum porro conclusionis vocant Logici minus extremum, seu minorem terminum; at contra illius praedicatum extremum majus, seu majorem terminum, quia nimirum praedicatum plerumque latius patet subjecto conclusionis. Tertius postremo syllogismi terminus, ille scilicet, cui in praemissis utrumque conclusionis extremum comparatur, medium, sive medius terminus dicitur, quatenus nempe extrema sibi mutuo ille veluti conciliat, unumque cum altero componit; estque insuper id, quo mediante extremorum relatio, antea nobis ignota, fit manifesta.

Dividitur syllogismus in simplicem, et compositum. Simplex est ille, qui tribus simplicibus propositionibus constat, ut: Omnis homo est animal: atqui Petrus est homo: ergo Petrus est animal. Compositus vero is est, qui ex propositionibus compositis coalescit. Sed de hoc infra.

In syllogismo duo quammaxime consideranda sunt, scilicet materia, et forma. Materia duplex est, remota, et proxima. Remota sunt termini; proxima propositiones. Forma est artificiosa materiae dispositio; eaque est duplex, sicuti duplex est materia, quae in syllogismo distinguitur. Forma, quae remotam materiam, nempe terminos respicit, dicitur figura; quae vero proximam, idest propositiones, dicitur modus. Figura est dispositio medii termini cum extremis in praemissis. Modus vero est propositionum combinatio in syllogismo secundum earum quantitatem, et qualitatem.

ARTICULUS II.

De Figuris, et Modis Syllogismorum.

Cum medius terminus quadrifariam disponi posit cum utroque extremo in praemissis, quadruplex Syllogismi figura jure distinguitur. Prima est, in qua medius terminus,

habet rationem subjecti in majore propositione, et praedicati in minore; hinc majus extremum in illa praedicatur, et minus extremum in ista subjicitur: quemadmodum apparet in hoc syllogismo:

Omnis homo est animal;
Petrus est homo;
Ergo Petrus est animal.

Secunda figura est ea, in qua medius terminus rationem habet praedicati in utraque praemissa; quare extrema in iisdem subjiciuntur; ut in hoc syllogismo:

Nullus lapis est animal;
Omnis homo est animal;
Ergo nullus homo est lapis.

Tertia est illa, in qua medius terminus est subjectum in utraque praemissa, quo fit, ut extrema in ipsis praedicentur; hujusmodi est syllogismus sequens:

Omnis homo est animal;
Omnis homo est vivens;
Ergo aliquod vivens est animal.

Quarta postremo figura est illa, in qua medius terminus habet rationem praedicati in majore propositione, et majus extremum rationem subjecti. In minore verò medius terminus subjicitur, et minus extremum praedicatur; ut in syllogismo sequenti:

Omnis homo est animal;
Omne animal est substantia;
Ergo aliqua substantia est homo.

Haec tamen figura, quae vulgo Galenica vocatur, quia a Galeno vel primum inventa, vel frequentius usurpata, in nullo pretio est, et jure quidem. Est enim mera primae inversio, quatenus nempe major propositio in hac figura secundo loco ponitur, et minor primo; ex quo fit, ut nonnisi violenter concludat. Quare nos etiam illa rejecta, tres tantum priores, ut legitimas admittimus; quae memoriae causa hoc disticho comprehendi solent.

Prima prius medium subicit, post praedicat ipsum;
Praedicat altera bis; tertia bis subicit.

Modi, quibus tres propositiones secundum quantitatem, et qualitatem disponi inter se possunt in syllogismo, qua-

tuor, et sexaginta numerantur; at undeviginti dumtaxat, ceteris posthabitis, quippe inutilibus, tradi solent in Scholis; quos comprehendunt barbaris quibusdam, ac horridis versiculis, in quibus vocalium duntaxat A, E, I, O potestas attenditur. Etenim apud Scholasticos A propositionem universalem affirmantem, E universalem negantem exprimit; I vero particularem affirmantem, O particularem negantem denotat. Verum nos ab illis recensendis consulto abstinemus, cum nonnisi laborem docendi, et discendi augeant, et nullius fere sint usus. Potius igitur considerentur regulae, quas subjicimus.

Articulus III.

De Regulis Artis Syllogisticae.

Circa Syllogismos octo regulae traduntur a Logicis, quarum quatuor priores respiciunt figuram, seu dispositionem medii cum extremis: quatuor vero posteriores respiciunt modum, seu combinationem propositionum secundum earum quantitatem, et qualitatem.

Prima regula est, ut tres tantum sint termini in syllogismo; et id patet ex principiis, quibus utraque argumentatio innititur.

Secunda regula est, ut termini non sumantur generalius in conclusione, quam in praemissis; quandoquidem a particulari ad universale non est legitima conclusio.

Tertia, ut medium nunquam ingrediatur conclusionem; quandoquidem nonnisi in praemissis extrema cum medio comparantur.

Quarta, ut medium saltem semel universaliter sumatur, hoc est secundum totam suam extensionem. Si enim bis particulariter sumeretur, conjungere non posset duo extrema; non enim unus esset idemque terminus, sed alius et alius. Ex: gr: vitiosus esset hic syllogismus: Quidam homo est sanctus; sed quidam homo est fur; ergo quidam fur est sanctus. Siquidem medius terminus in majore, et minore particulariter sumitur, nec proinde pro uno, eodemque homine, sed pro diversis accipitur.

Quinta, ut praemissarum alterutra in omni figura sit universalis; nam ex duabus propositionibus particularibus nihil concluditur, cum in illis medius terminus pro diversis accipiatur.

Sexta, ut alterutra ex praemissis sit affirmans; quia ex duabus negantibus nihil concluditur. Ex eo enim, quod duo non sint tertio aequalia, non sequitur ea esse inter se aequalia, vel inaequalia; vel ex eo, quod cum tertio non conveniant, non sequitur, ea inter se convenire, aut discrepare.

Septima, ut ex duabus propositionibus affirmantibus nunquam sequatur conclusio negans; quod patet ex iis, quae cap: 2.° dicta sunt de principiis, quibus innititur argumentatio affirmativa.

Octava, ut conclusio sequatur debiliorem partem, id est ut sit negans, si alterutra ex praemissis fuerit negans: item ut sit particularis, si alterutra ex praemissis fuerit particularis: nam extrema neque arctius, neque generalius conjungi debent in conclusione, quam fuerint in praemissis cum medio connexa. Atque hae sunt octo fundamentales syllogismorum regulae, quae memoriae causa sequentibus versibus comprehenduntur.

I. Terminus est triplex, major, mediusque, minorque.
II. Latius hunc, quam praemissae, conclusio non vult.
III. Nequaquam medium capiat conclusio oportet.
IV. Aut semel, aut iterum medium generaliter esto.
V. Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.
VI. Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur.
VII. Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.
VIII. Est parti similis conclusio deteriori.

His explicatis generalibus syllogismorum regulis, nunc leges singulis figuris propriae explicandae sunt. Et quod spectat ad primam figuram, duae sunt leges observandae. Prima est, ut minor sit affirmans: si enim esset negativa, major esset affirmans ex regula sexta; et conclusio esset negativa ex regula octava. Et tunc majus extremum, cum sit praedicatum tam in majore propositione, quam in conclusione, in illa utpote affirmante sumeretur particulariter, in hac vero utpote negante sumeretur universaliter. Ergo maius extremum sumeretur universalius in conclusione, quam in praemissis, quod est contra regulam secundam.

Secunda lex est, ut major sit universalis; quia si foret particularis, medium, quod est illius subiectum, foret tantum particulare; cum autem medium sit praedicatum minoris, quae debet esse affirmans, in ea quoque particulare foret, ideoque bis particulariter sumeretur, quod est contra

regulam quartam. Hae duae leges hoc versiculo continentur:

Sit minor affirmans, major vero generalis.

De secunda figura duae pariter sunt leges; quarum prima est, ut una ex praemissis sit negans; quia cum medium in utraque sit praedicatum, si ambae forent affirmantes, bis particulariter sumeretur, quod repugnat regulae quartae.

Secunda ut major sit universalis. Nam si esset particularis, majus extremum, utpote habens in illa rationem subjecti, particulariter in ipsa sumeretur. Sumitur autem universaliter in conclusione, cum sit illius praedicatum, et ipsa sit negativa, ob id nempe, quod praemissarum alterutra debeat esse negativa. Ergo majus extremum latius pateret in conclusione, quam in praemissis; quod repugnat regulae secundae. Ergo ex praemissis in secunda figura

Una negans esto, nec major sit specialis.

Duas quoque leges habet tertia figura. Prima est, ut minor sit affirmans, non secus ac in prima figura, ob eandem rationem.

Secunda est, ut conclusio sit particularis. Nam minus extremum, cum sit praedicatum in propositione minore, eaque sit affirmans, sumitur in ipsa particulariter: ergo ex regula secunda, particulariter quoque sumi debet in conclusione. Sed in hac subjicitur: ergo conclusio erit particularis, utpote habens subjectum particulare. Hinc in 3. Figura,

Sit minor affirmans, conclusio particularis.

Articulus IV.

De universali Syllogismorum Fundamento.

Quamvis regulae hactenus traditae optimae sint, tamen cum in argumentando ad eas vix attendamus, optimum factu est universale quoddam principium, quod Arnaldo acceptum ferimus, hic paucis exponere. Ad illud enim facile revocari possunt regulae omnes, quae a Logicis traduntur.

Hoc itaque principium in eo unice positum est, ut una praemissarum syllogismi conclusionem contineat; altera vero manifestum efficiat, conclusionem in illa con-

tineri. Ratio hujus regulae videtur evidens : cum enim conclusio ex praemissis colligatur, veluti effectus a sua causa, necesse profecto est, una praemissarum conclusionem ipsam contineat. Quoniam vero ejusmodi continentia nequit esse ex ipsis terminis manifesta, (alioquin conclusio non esset diversa a praemissis), debet altera praemissarum continentiam ipsam manifestare, ac veluti ante oculos ponere. Hinc illarum una propositio continens; altera exponens, sive applicativa satis apte vocatur.

In syllogismis affirmativis propositio universalior haberi debet pro continente; ea vero pro exponente, quae minore extensione donatur. At in negativis, cum conclusio sit propositio negans, neque possit negatio in affirmatione comprehendi, propositio continens est propositio negativa, quemcunque in illis locum teneat; exponens vero praemissa affirmativa. Igitur syllogismus, qui sequitur, non recte concludit:

> Qui ait te esse animal, verum dicit;
> Qui ait te esse anserem, ait te esse animal,
> Ergo qui ait te esse anserem, verum dicit.

Hic, inquam, syllogismus non recte concludit. Nam τὸ animal in propositione majore certam quamdam animalis speciem designat, nempe rationalis : minor autem propositio in ea specie anserem comprehendi non docet; ac proinde conclusio non est legitima, quippe quae in propositione majore non continetur. Eadem ratione nullus est, qui sequitur :

> Omnis homo est animal;
> Equus non est homo;
> Ergo equus non est animal.

Conclusio namque in praemissa negante non comprehenditur. At contra sequentes optimi sunt.

> Miseri sunt, qui cupiditatibus serviunt;
> Avari cupiditatibus serviunt;
> Ergo avari sunt miseri.
> Nulla substantia carens partibus potest destrui ab agente creato;
> Anima humana est substantia carens partibus;
> Ergo anima humana ab agente creato destrui non potest.

Utriusque enim conclusio in majore continetur, quemadmodum minor propositio palam efficit. Ex his manifeste sequitur, non aliud requiri, cum aliqua nobis

demonstranda est propositio, nisi ut aliam magis notam, in qua illa continetur, investigemus; simulque alteram inveniamus, quae unam in altera comprehendi, veluti ob oculos ponat, ac prorsus ostendat.

Scholium. Ad principium hactenus expositum revocari potest quaedam regula generalis conficiendorum syllogismorum a nonnullis tradita, quae licet in solis syllogismis primae figurae locum habeat, nec possit applicari aliis aliarum figurarum syllogismis, tamen ob nimiam ejus facilitatem non videtur omittenda. Est autem hujusmodi. Proposita quaestione aliqua, si volumus argumentari affirmative, tota vis, et ratio ejus solvendae in eo est, ut ostendamus, subjectum contineri in praedicato. Ad hoc conficiendum nihil aliud requiritur, nisi ut inveniamus tertium quemdam terminum, qui contineatur in praedicato quaestionis, simulque subjectum contineat; inde enim necessario sequitur, quaestionis subjectum in praedicato contineri. Sic ex: gr: si nobis probandum sit, patientiam esse laudabilem, ostendere debemus patientiam contineri inter laudabilia, tamquam partem in toto aliquo. Ad hoc evincendum, oportet inveniamus aliquid, quod contineatur inter laudabilia, simulque patientiam contineat; hoc siquidem invento, concludere possumus, ipsam quoque patientiam inter laudabilia contineri. Id autem videtur esse virtus, quae tamquam medium adhiberi posset hoc modo: Virtus est laudabilis; patientia est virtus; Ergo patientia est laudabilis. Quod si velimus negative argumentari, tertius terminus a nobis inveniendus hujusmodi esse debet, ut non contineatur in praedicato quaestionis, et contineat subjectum, et non conversim; alioquin peccaretur contra primam legem, quae servari debet in syllogismis primae figurae, in quibus tantum, uti jam dixi, haec regula locum habet.

Articulus v.

De Syllogismis Compositis.

Syllogismus compositus est, cujus una praemissarum est propositio composita, et quidem sic in eo distributa, ut una illius pars assumatur in minorem, et altera in conclusionem deducatur. Est autem quadruplex, nempe Conditionalis, Causalis, Copulativus, et Disjunctivus.

Syllogismus conditionalis est, cujus major est propositio conditionalis, ea ratione in illo distributa, ut una ipsius pars minorem constituat, altera vero conclusionem: ut.

Si Deus est justus, punientur iniqui;
Sed Deus est justus;
Ergo punientur iniqui.

Dupliciter hoc syllogismo arguitur, affirmative nimirum, et negative. Arguitur affirmative, cum in minore affirmatur conditio, et in conclusione affirmatur conditionatum. Arguitur vero negative, cum in minore negatur conditionatum, et in conclusione negatur conditio: ut

Si Sol movetur, Terra stat;
Sed Sol movetur;
Ergo Terra stat.
vel Sed Terra non stat;
Ergo Sol non movetur.

Ut syllogismus conditionalis vim habeat, tria necessaria sunt. Primum, ut inter conditionem, et conditionatum sit necessaria connexio. Alterum, ut a positione conditionis in minore inferatur positio conditionati in conclusione. Tertium, ut a remotione conditionati in minore inferatur remotio conditionis in conclusione. Quod si contra fiat, conditionalis syllogismus vitiosus erit. Sint exempla: Si Divus Paulus Romae fuit, ibi fuit Episcopus: sed D. Paulus Romae fuit; ergo fuit ibi Episcopus. Si omnes homines docti sunt, Petrus est doctus: sed Petrus est doctus: ergo omnes homines sunt docti. Si hoc vivens est homo, hoc vivens est animal: sed hoc vivens non est homo: ergo hoc vivens non est animal. Primus syllogismus peccat contra primam regulam, alter contra secundam, tertius contra tertiam; ideoque nullam habent vim.

Advertendum tamen est, primam, et secundam harum regularum semper esse observandas in syllogismo conditionali. Primam quidem, alioquin peccaret syllogismus, eo quod falsa esset major propositio. Secundam vero, quia ex positione consequentis nullatenus inferri potest antecedens, cum veritas antecedentis non pendeat a veritate consequentis; quandoquidem non antecedens in consequente, sed consequens in antecedente continetur. Tertia autem regula servari debet, si in propositione conditionali antecedens, et consequens non habeant eandem extensionem. Nam si eandem extensionem habeant, recte ex nega-

tione antecedentis inferri potest negatio consequentis. Ita sequens syllogismus recte concludit: Si hoc vivens est homo, hoc vivens est animal rationale: sed hoc vivens non est homo: ergo hoc vivens non est animal rationale. Ratio est, quia cum in hoc casu antecedens, et consequens eandem extensionem habeant, uno quolibet negato, debet et alterum negari.

Syllogismus causalis habet pro majore propositionem causalem: in minore autem demonstrat alteri subjecto eandem causam competere, ac infert in conclusione eidem subjecto minoris competere attributum majoris: vel si in minore negat causam alteri subjecto convenire, infert in conclusione, attributum majoris non competere subjecto minoris. Hujusmodi est sequens syllogismus.

Ideo Sol semper splendet, quia habet proprium lumen;
Sed Stellae fixae habent proprium lumen;
Ergo etiam semper splendent.
vel Sed Luna non habet proprium lumen;
Ergo Luna non semper splendet.

Ut vim habeat hoc argumentum, requiritur, ut major sit legitima causalis.

Syllogismus copulativus est, cujus major est propositio copulativa, quae negativa sit, tali lege in illo distributa, ut una ipsius propositionis pars affirmetur in minore, et altera in conclusione rejiciatur, vel viceversa: ut,

Non potest corpus simul moveri, et quiescere;
Sed movetur;
Ergo non quiescit.
vel Sed non movetur;
Ergo quiescit.

Ut in hoc syllogismo ex positione unius partis arguatur ad negationem alterius, sufficit ut partes propositionis copulativae sint repugnantes. Verum ut ex negatione unius partis ad positionem alterius arguatur, non solum requiritur, ut partes sint repugnantes, verum etiam necesse est, ut nullum plane medium admittant. Ex. gr. sequens syllogismus rectus est: Non potest homo servire Deo simul, et mammonae; sed Petrus servit mammonae; ergo non servit Deo. Quia cum partes sint repugnantes, posita una, necessario debet negari altera. Sed si quis vellet arguere hoc modo: Sed Petrus non servit Deo; ergo servit mammonae; vitiosus esset syllogismus. Nam cum partes medi-

um admittant, ex negatione unius non sequitur necessario affirmatio alterius: posset enim affirmari aliquid aliud, quam quod in propositione enunciatur.

Syllogismus disjunctivus est, qui pro majore habet propositionem disjunctivam, cujus una pars affirmetur in minore, et altera excludatur in conclusione; vel una pars rejiciatur in minore, et altera affirmetur in conclusione. En utriusque exempla:

Aut mens humana est materialis, aut est immaterialis;
Sed est immaterialis;
Ergo non est materialis.
vel Sed non est materialis;
Ergo est immaterialis.

Hinc syllogismus disjunctivus necessario postulat, ut optima sit disjunctiva propositio, quae majorem constituit, nimirum ut membra disjunctivae propositionis sint repugnantia, et nullum plane medium admittant. Etenim si secus fiat, perspecta res est, nihil prorsus legitima posse illatione deduci.

Articulus VI.

De Syllogismi Vitiis.

Vitium in syllogismo esse potest ratione et materiae, et formae. Peccat syllogismus in materia, quoties propositionum, unde componitur, aliqua falsa est. Quare quae superius de veritate propositionum disseruimus, recolantur. Ratione autem formae claudicat syllogismus, si conclusio ex praemissis non sequatur. Id autem potest accidere, si aut negligantur regulae superius traditae, aut aliqua sit fallacia in syllogismo. De primo jam egimus, de secundo deinceps disputabimus.

CAP. IV.

De Reliquis Argumentationis Speciebus.

Enthymema est syllogismus truncatus, cujus alterutra ex praemissis reticetur, et retinetur mente; ideoque duabus constat propositionibus, quarum prior antecedens, posterior consequens, seu conclusio nominatur. Ex. gr.:

Mens humana est substantia simplex;
Ergo est incorruptibilis.

Frequentissime Enthymema adhibetur compendii gratia: verum non concludit; nisi pro vera habeatur propositio, quae reticetur. Sic ex eo, quod mens humana sit substantia simplex, manifeste non sequitur, eam esse incorruptibilem, nisi haec alia intelligatur propositio, eaque ut vera admittatur, nimirum omnem substantiam simplicem esse incorruptibilem. Atque hinc patet, Enthymema esse in mente perfectum syllogismum.

Epicherema definiri vulgo solet: Syllogismus, cujus alterutri, vel utrique praemissarum sua probatio adjungitur. Ex. gr.

> Omnis substantia spiritualis est incorruptibilis; cum partibus careat, in quas possit dissolvi:
> Atqui anima rationalis est substantia spiritualis, cum velit, atque intelligat.
> Ergo anima rationalis est incorruptibilis.

Verum ex Aristotele, cui consentit Quintilianus lib. v. Inst. Orator. cap. 10. Epicherema est syllogismus constans ex probabilibus.

Prosyllogismus est argumentatio, in qua uni syllogismo ita alius subnectitur, ut primi conclusio, sit major alterius. En exemplum.

> Spiritus caret partibus;
> Atqui mens est spiritus;
> Ergo mens caret partibus:
> Atqui quod caret partibus, corrumpi nequit;
> Ergo mens corrumpi nequit.

Penultim apropositio vocatun Scholis minor subsumta

Sorites, qui latine acervalis dicitur, est argumentatio ex pluribus, quam duabus, praemissis constans, ea lege simul connexis, ut attributum proxime praecedentis sit subjectum sequentis, atque ita deinceps, donec subjectum primae cum ultimae praedicato in conclusione conjungatur. Hujusmodi est illud Senecae.

> Qui prudens est, et temperans est;
> Qui temperans est, et constans est;
> Qui constans est, et imperturbatus est;
> Qui imperturbatus est., sine tristitia est;
> Qui sine tristitia est, beatus est;
> Ergo prudens beatus est.

Ut Sorites recte concludat, singulae partes verae sint oportet; alias in paralogismum degenerabit.

Dilemma, seu argumentatio bicornis dicitur illa, in qua per propositionem disjunctivam totum in duas partes dividitur, ex quibus singulis incommodum aliquod infertur ea mente, ut idem de toto concludatur. Ex. gr.

Quisquis hanc vitam ducit, vel cupiditatibus servit; vel obsistit. Si servit, miser est; nam eas explere nequaquam poterit: si obsistit, miser quoque est; nam sibi perpetuo repugnare cogitur. Ergo quisquis hanc vitam ducit, miser est.

Si propositio disjunctiva tribus constet partibus, argumentum dicitur trilemma; si quatuor, tetralemma, etc. Advertendum tamen est, propositionem disjunctivam, quae totum in partes dividit, compendii gratia, saepenumero reticeri.

Multipliciter autem peccare potest hujumodi argumentatio. I. Si disjunctiva propositio sit imperfecta, et manca, nimirum si medium admittat. II. Si haud necessario conclusiones ex partibus deducantur. III. Si queat suum in auctorem retorqueri. Triplici hoc vitio laborat dilemma illud, quo Chrysippus Rempublicam non esse administrandam suadere conabatur, inquiens:

Si quis in Republica administranda bene agit, offendit homines; quod est molestum: si male, offendit Deum; quod itidem molestum est.
Ergo à Reipublicae administratione est abstinendum.

Primo enim hoc dilemma medium admittit; cum possit quis in administranda Republica ita se gerere, ut neque Deum, neque homines offendat. Secundo conclusiones ex partibus non necessario deducuntur; nam molestum nequaquam est homines offendere, si id vitari non possit, quin in Deum peccemus. Tertio contra auctorem sic retorqueri posse, testatur Aristoteles: Si Rempublicam male administraveris, placebis hominibus; si recte, Deo: ergo est administranda. Verum id rationi absonum est; non licet enim hominibus placere in Deum peccando.

Inductio est argumentatio, qua ex particularibus recte enumeratis universalis propositio infertur: ut cum ex eo quod Petrus sentiat, Paulus sentiat, atque ita de ceteris, colligimus hominem vi sentiendi donatum esse. Haec argumentationis species invictissima est, si integra sit, et perfecta rerum enumeratio. At nulla erit, si in particularibus enumerandis vel unum praetermittatur.

Nonnulli pro octava, et nona argumentationis specie addunt Exemplum, et Analogiam. Nos tamen utrumque omisimus, tum quia ut plurimum probabiliter tantum concludunt, tum etiam quia peculiarem argumentationis speciem non constituunt, sed potius censeri debent veluti fontes, unde desumi solent argumenta.

CAP. V.

De Argumentatione Demonstrativa, et Probabili.

Argumentatio apodictica, sive demonstrativa ea est, quae constat ex praemissis penitus evidentibus. Hinc per demonstrationem res manifeste nobis vera apparet. Illud quippe verum evidenter cognoscitur, quod ex claris, perspicuisque principiis eruitur, ut proinde rem demonstrare perinde sit omnino, ac rem ipsam veluti digito ostendere. Praemissae idcirco demonstrativae argumentationis debent esse vel axiomata, vel definitiones, vel propositiones ex principiis per se notis jam evidenter deductae, vel experimenta adeo clara, ut de illorum veritate nulla prorsus ingeri nobis possit dubitatio. Observandum porro, ad perfectam rei ostensionem quandoque unum syllogismum satis esse; quandoque plures requiri ea lege simul connexos, ut prioris conclusio in eo, qui proxime sequitur, praemissae locum teneat. Non enim veritas cujusvis propositionis ex principiis per se notis immediate derivari semper potest, unoque syllogismo ostendi.

Demonstratio autem est duplex, directa nimirum, et indirecta. Directa rursus duplex est, altera a priori, altera a posteriori. Prior est, cum effectus per suam causam demonstratur, ut cum existentiam lucis probamus per existentiam Solis. Posterior vero, cum causa ostenditur per effectum; ut cum existentiam Solis per lucis existentiam probamus. Demonstratio indirecta fit per reductionem ad absurdum, nimirum cum, posita tanquam vera propositione adversarii, deducimus inde aliquod absurdum, ad quod illum reducamus. Sed de his alibi fusius disputabimus.

Argumentatio probabilis, quae suasoria quoque, et opinabilis dicitur, ea est, quae ex probabilibus deducitur, seu cum praemissae nullam praeseferunt connexionis necessitatem subjecti cum medio, et medii cum attributo.

Sunt autem probabilia quae videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, aut ex iis vel plurimis, vel spectatissimis. Ex. gr: omnibus videtur futura aestas calida, id tamen certum non est: multis videtur medicina ad sanandos morbos necessaria, saepe tamen contrarium accidit. Omnis igitur argumentatio, cujus praemissae contingentes sunt, et non necessariam inferunt connexionem inter terminos, probabilis vocatur, sive opinabilis, et suasoria.

C A P. VI.

De Argumentatione Sophistica.

Argumentatio sophistica, sophisma, paralogismus appellari solet in Scholis, argumentatio falsis constans propositionibus, quae tamen ita captiose enunciantur, ut veri speciem habeant. Varios hujusce fallacis argumentationis modos perspectos habeamus necesse est, non quidem ut iis utamur in disputando, quod indecorum est, ingenuoque philosopho indignum; sed ut eos declinare valeamus, si quando cum adversario sophista concertandi nobis praebeatur occasio. Omnis autem cavillatio, seu fallacia sophistarum posita est vel in dictionibus, vel in cogitationibus. Prima dicitur grammatica; secunda logica. Grammatica fallacia est, cum vox aequivocatione laborat, ut si dicatur: Inter Zodiaci constellationes numeratur etiam Aries; Ergo in Zodiaco reperitur animal graminivorum. Vel cum vox laborat amphibolia, ut illud oraculi Delphici responsum: Ibis redibis non morieris in bello. Verum haec, aliaque his similia tanti non sunt, ut longiorem requirant explanationem.

Fallacia vero logica ad aliqua capita reduci debet. Prima est ignorantia elenchi, seu ignorantia ejus, quod contra adversarium probandum est. Hoc vitio laborat argumentum illud, quo Epicurus metu mortis nos liberare nititur. En ejus verba relata a Lactantio lib: 3. cap. 17: Quando nos sumus, mors non est; quando mors est, nos non sumus; mors ergo nihil ad nos. At quaestio in eo versatur, num ipsum mori dolorem afferat, quod non attingit Epicurus.

Secunda est petitio principii, nempe cum id, quod in disquisitione positum est, assumitur tamquam certum.

Hanc fallaciam admisit Aristoteles, cum Terram centrum Mundi esse probabat hoc argumento: Gravia natura sua tendunt ad centrum Mundi: sed experientia docet, gravia tendere ad centrum Terrae: ergo centrum Terrae est centrum Mundi. Non enim aliunde Aristoteles probare poterat, gravia ad centrum Universi descendere, quam ex eo, quod centrum Terrae, ad quod revera feruntur, idem sit, ac centrum Universi; quod tamen est in quaestione.

Tertia est a non causa ad causam, cum loco causae id affertur, quod revera causa non est, ut cum cometa dicitur sequentis pestilentiae causa; sic enim ratiocinari solent: Post hoc, ergo propter hoc.

Quarta est imperfecta partium enumeratio: ut si quis ex paucissimis partibus recensitis, quod de iis probatum est, id toti convenire colligeret. Ex: gr: si quis ita ratiocinetur: Oleum, vinum, urina, cum in glaciem concrescunt, condensantur; ergo omnes liquores conglaciati condensantur. Haec conclusio falsa est; nam aqua glacie concreta non condensatur, sed rarefit.

Quinta est fallacia accidentis, cum quod fortuito alicui convenit, id tamquam ipsi necessario conveniens assumitur; ut si quis Infidelis hoc adversus Christifideles argumento uterctur: Seditiones sunt malae; sed seditiones quandoque eveniunt Evangelii praedicatione; ergo Evangelii praedicatio mala est.

Sexta est fallacia consequentis, cum nempe consequi illud affirmatur, quod minime consequitur: id autem ut plurimum accidit, cum conversim arguitur in iis, quae non convertuntur. Ex. gr. siquis ita argueret: Fures noctu vagari solent: ergo qui noctu vagatur, est fur; vel, qui non vagatur noctu, non est fur.

Septima est fallacia compositionis, et divisionis; cum scilicet in sensu diviso explicatur, quod explicari deberet in sensu composito, vel contra. Ex. gr. Sedens stare nequit: sedes; ergo numquam stare poteris.

Octava est fallacia a dicto simpliciter ad dictum secundum quid, aut vicissim; nimirum cum ex eo, quod certa quadam ratione verum est, quid generale colligitur, vel viceversa. Ut si quis ex eo, quod divina praecepta solis naturae viribus divina gratia destitutis servari nequeant, arguat; illa simpliciter non posse servari.

Nona est transitio de genere ad genus: ut si quis ad ea, quae sunt naturali rationis lumine probanda, mysterium aliquod adhibeat, aut vicissim.

Decima est circulus vitiosus, seu vitiosa circuitio, quae tunc adhibetur, cum idem probatur per idem. Ex: gr. Sidera inerrantia scintillant, quia maxime distant: longe vero distant, quia scintillant. Advertendum tamen est, vitiosam non esse circuitionem, cum ex eo, quod aliunde constat, aliquid ostenditur; quo probato, rursus illud inde demonstratur. Hic argumentandi modus vocatur regressus demonstrativus: de quo alibi redibit sermo, ibique distinctius explicabitur.

Undecima est fallacia multiplicis interrogationis, nimirum cum quis plura quaerit unica interrogatione, cui non potest satisfieri simplici responsione. Ut si Judex ita reum interroget: Solus-ne hominem occidisti? Si reus respondeat negative, fatetur, se habuisse socios criminis: si affirmative, fatetur se occisorem. Duplici ergo responsione sibi consulat, dicatque: nec occidi hominem, nec socii mihi adfuerunt.

Duodecima est fallacia falsae suppositionis, quae tunc adhibetur, cum argumentatio innititur alicui propositioni falsae, quae quidem non exprimitur, sed captiose supponitur, perinde ac si ab ipso adversario tamquam vera haberetur. Hujusmodi est sophisma illud, quo Diodorus Diogeni probare conabatur, illum habere cornua: Quod non perdidisti, inquit, habes; sed cornua non perdidisti, ergo habes. Haec argumentatio supponit tamquam veram hanc propositionem falsam, nempe Diogenem aliquando habuisse cornua; quae non perdidit. Haec fallacia dispellitur negando id, quod falso supponitur.

CAP. VII.

De Causis Errorum.

Quae hactenus sophismata recensuimus, in ratiocinando decipiunt: alia sunt praeterea, quae facilem aberrandi occasionem menti praebent. Hae autem errorum causae repetendae, sunt ex Praejudiciis, Cupiditatibus, Philautia, Negligentia, et Praecipiti iudicio; quas hic aperire praestat, ut in veritate investiganda sedulo ab iis caveamus.

I. Praejudicia, sive praejudicatae opiniones sunt praeconcepta citius, quam par est, animo judicia. Ea proficiscuntur I. ex partium studio; cum nimirum certis quibusdam destinatisque sententiis addicti, et consecrati sumus: unde fit, ut constantiae causa, vel quae non probamus, defendere conemur. II. Ex auctoritatis aestimatione; cum scilicet ex alienis judiciis ita pendemus, ut etiam sine ratione apud nos valeat auctoritas. III. Ex disputationis amore, si nimirum privatae opinionis studio incensi, contradicendi prurigine abripiamur. IV. Ex multitudinis sensu; si nimirum vulgi opiniones pecudum more, nulla adhibita ratione, sequimur. Jam vero mentis nostrae ratiocinia certis quibusdam principiis reguntur. Si igitur praejudiciis illa innitantur, perversa omnino erunt, atque errandi facilem occasionem dabunt.

II. Cupiditates, quibus hominis animus occupatur, veritati assequendae quamplurimum adversantur. Cum enim animum immutent, immutant etiam, atque pervertunt judicia, quae de rebus objectis feruntur. Quamobrem sibi quisque attendat, seque in judiciis ferendis a cupiditatibus abripi non patiatur.

III. Cupiditatum maxima est philautia; amore enim sui captus homo eam, quae sibi arridet, sententiam veram esse tuetur, aliorum rationibus omnino posthabitis. Id autem turpe admodum est, et errorum non levium origo.

IV. Negligentia, et taedium laboris veritati comparaudae etiam adversatur. Evenit enim plerumque, ut quis alicujus quaestionis instituto examine, post aliquot tentamina, post aliquot repudiatas conjecturas, tandem taedio affectus ei praebeat assensum, quae ultima occurrit, licet sit omnium pessima. In veritatis igitur inquisitione nulli nobis labori parcendum est, nisi velimus in supinae ignorantiae tenebris perpetuo versari.

V. Tandem errandi causam plerumque affert praeceps judicium. Cum enim objectas nobis ideas mature non expendimus, in subjecti, ac praedicati convenientia, et repugnantia deprehendenda facile fallimur. Igitur maximopere curandum est, ne perceptae idearum relationi extemplo, ac temere acquiescamus; sed contra assensum nostrum tamdiu sustineamus, donec ideis accuratius expensis, in quo secum illae conveniant, aut discrepent, manifestum fiat. Hic autem advertendum duco, ne judicii suspensione abutamur. Nimirum non cousque deveniendum

est, ut vel ab ipsa evidentia oculos avertamus. Victrici enim perspicuitati cedere oportet: isque veritatis certus est character, cum propositae evidentiae attendentes ad assensum impellimur.

Finis tertiae partis.

PARS QUARTA.

De Methodo.

Traditis hactenus, quae ad perceptionem, judicium, et ratiocinationem pertinent, restat, ut aliqua de Methodo dicamus. Haec certe ceterarum operationum mentis nostrae apex veluti est, et complementum. Neque enim suum illa finem, cognitionem scilicet veritatis, assequi unquam poterit, nisi recte in rebus investigandis incedat, atque adeo nisi methodice operetur. Porro veritas aut inquirenda a nobis est, dum latet, aut inventa aliis aperienda est. Duplex hinc est methodus, altera scilicet, qua verum latens inquirimus, et invenimus, et dicitur Analysis, seu resolutio; altera vero, qua verum inventum aliis aperimus, et dicitur Synthesis, seu methodus compositionis, et doctrinae. Universim vero Methodus definitur: ratio bene disponendi seriem plurimarum cogitationum, id est perceptionum, judiciorum, ac ratiocinationum, sive id fiat ad ignotam veritatem investigandam, sive ad cognitam aliis demonstrandam. De utraque Methodo sermo erit in sequentibus capitibus; quibus deinde pauca de Methodo studendi, nonnullaque de Methodo disputandi subjiciemus.

CAP. I.

De Methodo Analytica.

Analysis hic non sumitur pro reductione rei cujuspiam in suas partes, et principia; ut cum corpus physicum in elementa, et oratio in membra sua, et syllogismus in propositiones, et terminos resolvitur: sed pro ratione inveniendi veri, et propositae quaestionis solvendae. Quaestiones autem generatim vel sunt de vocabulis, vel de rebus.

I. Quaestiones de vocabulis hic eas appellamus, quae

circa verborum interpretationem agitantur; cum scilicet Auctoris alicujus sensus intelligendus est. Ut autem id obtineatur, opus est arte hermeneutica, idest arte interpretandi. Ea porro docet 1. Auctoris, cujus sensum inquirimus, finem investigare; nunquam enim praeter scopum dicentis verba accipienda sunt. 2. Examinare, quo animo verba proferantur, serio-ne, an per jocum; ex instituto, an ex accidenti; ex aliena, au ex propria persona. 3. Expendere propositionum omnium attributa, ac subjecta; contextus etiam plures simul conferre, et obscuriora loca per clariora explicare. 4. Posteriores Auctoris sententias prioribus anteferre, cum indicium aliquod habemus, priores mutasse. 5. Loca contradictoria, quoad possumus, conciliare per conjecturas ex locis antecedentibus, consequentibus, et parallelis, idest ejusdem argumenti, deductas. 6. Attendere diligenter, quo sensu voces prolatae sint simplici-ne, et nativo, an metaphorico, et translatitio. 7. Animadvertere, quis ille sit qui loquitur, Auctor-ne, an ejus interpres, amanuensis, vel typographus, ne forte aliorum sententiae Auctori tribuantur. 8. Inspicere qua causa, qua occasione, quo consilio, quo affectu loquatur Auctor, ad quos orationem convertat; quo loco, quo tempore eam habuerit. Optima enim est ratio sensus obscuros dilucidandi, et apparentes antilogias conciliandi, circumstantiarum, et maxime personarum, locorum, ac temporum distinctio.

Has regulas dat ars hermeneutica; quae tamen supponit, nos codices habere emendatos, naturalem Scriptoris linguam, patriam, vitam, mores temporum, quibus scripsit, perfecte callere. His enim destituti subsidiis, frustra Auctoris intelligentiam assequi nitemur.

Si quaestio de ipso Auctore sit, an videlicet opus sit ejus, cui tribuitur; ex criticae regulis cognoscetur Auctor, vel ex proprio suo testimonio alio in loco, si nimirum librum illum laudat ut suum; vel ex testimonio aliorum, qui id scire possunt, et de quibus suspicari non liceat, quod velint fallere; vel ex lingua et modo loquendi, seu stylo, et dicendi charactere; vel ex rebus de quibus agit, nempe si auctor ea usurpet verba et phrases, ea narret facta, quae illi saeculo, quo scripsisse perhibetur, conveniunt: alias falsa inscriptio putanda est. Ita probant viri eruditi, libros illos, qui Mercurio Trismegisto tribuuntur, non esse veteris illius Mercurii, qui Aegyptiis et leges, et

litteras tradidit; quia phrases, et verba in illis occurrunt a veteri Graecae linguae consuetudine longe aliena. Ita etiam probant, opus illud, quod vulgo sub nomine Canonum Apostolorum circumfertur, Apostolis tribuendum non esse, eo quod multa contineat, quae nonnisi posterioribus saeculis accidisse constat.

II. Quaestiones de rebus sunt quadruplicis generis. 1. Cum ex effectibus causa quaeritur, vel rei natura ex proprietatibus. Ex: gr: cum cognitis variis effectibus magnetis, aestus marini, aliarumque hujusmodi rerum, earum causas inquirimus. 2. Cum ex causa quaeritur effectus, vel proprietates ex natura rei. Ita cum a primis temporibus constaret, ventorum, aquarumque vim magnam esse ad alia corpora movenda; hinc placuit quibusdam haec omnia ad effectus hominibus perutiles applicare; ut ad pistrina, quorum moles ventorum, vel aquarum vi, cum magno humani laboris levamine, circumaguntur. 3. Cum ex partibus, vel etiam proprietatibus totum quaerimus. Ex: gr: ex nota nobis Caeli parte, ejusque figura, totius caeli figuram investigamus. 4. Cum ex toto, parteque aliqua, vel etiam proprietate aliqua nobis notis, reliquas indagamus. Ex: gr: ex toto corpore, et aliquibus ejus proprietatibus cognitis, reliquas quaerimus.

In quocumque enumeratarum quaestionum genere veritas inquiritur, methodo analytica utendum est, et sequentes regulae servandae. 1. Nimirum quaestionis status recte definiatur, verbis perspicuis, quae omni ambiguitate carent, cum proponendo. 2. Singulae quaestionis partes divisim examinentur; facilius enim in plures peculiares quaestio soluta expedietur. 3. Ab examine ejus, quod notum est, progrediendum ad id, quod est ignotum ope ratiocinationis, cujus regulae ob oculos semper habeantur, exacteque serventur. Ex gr: Si quaeratur, an mens sit immortalis, primo quaestionis status probe expendatur, verbis perspicuis determinando, quid mentis, quid immortalitatis nomine intelligatur. Deinde seorsim examinentur quaestionis partes. Examinantes quid sit mens, intelligemus, eam esse substantiam, seu ens, cui proprium est cogitare. Examinabimus, quid sit cogitare, et inveniemus, in idea cogitationis nihil includi, quod sit commune cum idea corporis, et de cogitatione negari posse quicquid affirmatur de corpore; nequit enim cogitatio dici longa, lata, profunda. Ulterius progredientes deprehendemus, co-

gitationem, cum non sit modus substantiae extensae, esse modum alterius substantiae, cum modus sine substantia esse non possit; ideoque duas in nobis esse substantias affirmabimus, cogitantem alteram, alteram extensam, realiter inter se distinctas: cumque substantia inextensa partibus careat, in quas resolvi possit, concludemus, substantiam in nobis cogitantem, seu mentem nostram perire cum corpore non posse, proindeque esse immortalem.

CAP II.

De Methodo Synthetica

Postquam ope Analyseos veritatem assequuti sumus, accidit saepe, ut aliis tradenda sit; quod ut facile et perspicue fiat, methodus Synthetica praestat. Est itaque Synthesis ea, qua utimur ad scientias tradendas, et explicandas. Dicitur autem synthesis, seu compositio, eo quod a generalibus semper, et simplicioribus exorsi, ad particularia, et composita descendamus: cum e contrario in analysi res speciatim semper examinanda sit, ut ad communes notiones fiat progressus.

Igitur in Synthesi, non secus ac in Analysi, a facilioribus semper incipiendum est, atque inde paulatim, et quasi per gradus quosdam ad cognitu difficiliora progrediendum. Haec methodus a Geometris potissimum adhibetur, qui tria sibi exequenda praescribunt. 1. A vocibus ambiguis abstinent: hinc vocum, quibus utuntur, definitiones praemittunt. 2. Ratiocinationes perspicuis principiis adstruunt: idcirco axiomata, et postulata proponunt. 3. Demonstrativis argumentis omnia ostendunt: hinc ipsorum theoremata, et problemata definitionibus, axiomatis, postulatis, et propositionibus demonstratis innituntur.

Quamplures regulae traduntur a Logicis pro Methodo synthetica: nos vero sex praecipuas dumtaxat afferemus, quarum duae definitiones; aliae duae axiomata, et postulata; ceterae duae demonstrationes respiciunt.

Regula I. Nullum vocabulum subobscurum, aut ambiguum sine definitione adhibeatur; potissimum si vocabula sint technica, idest cuique arti propria.

Reg. II. In definitionibus vocabula notissimae significatio-

nis, aut jam explicata usurpentur; idque fiat brevissime, omissis inutilibus quibusdam eruditionibus, et Auctorum citationibus, quae tirones defatigant potius, quam instruunt.

Reg: III. Nihil loco axiomatis habeatur, quod non sit evidentissimum. Hinc 1. cum in propositione subjecti, ac praedicati mutua relatio, mediocri attentione adhibita, ipsa per se animo objicitur; axioma erit ea propositio. 2. Si propositione inspecta, hujusmodi relatio statim non deprehenditur; ea non erit axioma.

Reg: IV. Non postuletur, nisi quod facillime fit, vel fieri posse ab omnibus intelligitur.

Reg: V. Nihil in demonstrationibus adhibeatur, praeter definitiones, axiomata, postulata, et propositiones jam demonstratas.

Reg: VI. Nunquam in demonstrationibus ambiguitate vocum abutendum.

Illud autem hic praetermittere nolim, regulas hucusque traditas locum dumtaxat habere in scientiis humanis, iisque in rebus, quae rationis evidentia innituntur. Quae enim Divinam fidem respiciunt, non ita se habent; nimirum in iis credendis oportet intellectum subjicere, fideique ministrum reddere obsequentissimum; nec ulla quaerenda evidentia est, ubi Revelatio est manifesta. Fateri oportet, Deum posse id, quod nos investigare non possumus; nec quicquam negandum est ex eo, quod animo nequeat comprehendi.

C A P. III.

De Methodo Studendi

Methodus studendi dicitur illa, quae regulas complectitur, quibus studia nostra dirigenda sunt, ut ex librorum lectione disciplinam, quam cupimus, proprio etiam marte addiscamus. Regulae autem, quae de hac re tradi solent, sequentes sunt.

Reg: I. Nulli disciplinae danda est opera, nisi prius mens nostra iis omnibus, si quas habuerit, opinionibus exuatur, quas vel ex deteriorum librorum lectione, vel ex usu vivendi cum populo temere arripuimus. Hac namque cum falsae ut plurimum sint, impediunt quominus veritatem assequamur.

Reg. II. Illam disciplinam comparandam eligamus, quae statui nostro, ingeniique viribus consentanea sit; alioquin studium nostrum nedum inutile evadet, verum etiam noxium.

Reg: III. Disciplinae addiscendae electione facta, ei dumtaxat sedulo studeamus, neque pluribus simul vacemus; nisi forte subsecivis horis ad animum sublevandum eos libros legere velimus, qui et cultiorem stylum, et amoenam eruditionem nobis possint comparare.

Reg: IV. Seligendus est idoneus Auctor, in quo studiose versemur. Cum enim Praeceptoris loco is nobis sit, non secus ac Praeceptor, optimus eligendus est. Hac super re viri peritissimi consulendi sunt, eorumque judicio standum.

Reg: V. Non multa legenda, sed multum. Id est tirones multos libros, etiamsi optimi sint, ne legant; nam rerum etiam optimarum copia eorum ingenium opprimet potius, quam instruet: ideoque initio paucis libris contenti sint, at in eo sint toti, ut, quod in uno legunt, probe percipiant.

Reg: VI. Ut autem sensus Auctoris percipiatur, praeter illa, quae capite primo hujus partis ex arte hermeneutica in librorum lectione servanda statuimus, nonnulla alia serventur oportet. Nimirum selectus Auctor neque rapide, neque oscitanter legatur, sed singula ejus verba, ac rationum momenta, quibus suam doctrinam constabilire nititur, pacato attentoque animo considerentur: principia, unde conclusiones deducit, mature expendantur: ratiocinationes, earumque series ad Logicae regulas exigantur: ad posteriora gradus non fiat, nisi omnia, quae praecedunt, semel, atque iterum prius discussa attente fuerint, ac plenissime percepta, distincteque memoriae commendata.

Reg: VII. Ut memoriae consulatur, perutile erit uti scriptura, qua vel integra Auctoris capita paucioribus verbis contracta, vel saltem, quae in iis notatu digniora sunt, in adversaria referantur, ut cum opus fuerit, praesto sint.

Reg: VIII. Non est e manibus dimittendus auctor a nobis electus, nisi probe memoria teneatur: ideoque iterum atque iterum revolvendus est, donec ipsum tamdem plane possideamus. Plus enim utilitatis ex unius boni Auctoris accurata lectione consequemur, quam ex praecipiti mille optimorum Auctorum lectione.

Reg: IX. Juvabit plurimum, cognitiones, quas studio hausimus, cum viris doctis persaepe conferre. Compertum enim est, non solum perfectius mente comprehendi, animoque altius haerere, quae cum aliis conferuntur, verum etiam plura ad rem eandem spectantia plerumque detegi, quae hactenus a nemine excogitata fuerunt: quin imo falsa haud raro deprehendi non pauca, quae antea pro certissimis habebantur.

CAP. IV.

De Methodo Disputandi.

Disputatio est mutua propositionis alicujus defensio, et impugnatio. Ea porro inter duos peragitur; quorum qui propositionem, seu thesim tuetur, Defendens; qui vero illam oppugnat, Arguens, sive Opponens appellatur. Ut disputationes recte instituantur, et ad veritatem assequendam conducant, sequentes regulae servandae sunt.

Regulae Generales Disputationis.

I. In omni disputatione illud nobis cordi unice esse debet, semperque ante oculos obversari, ut disceptationis ope veritatem assequamur. Si hic erit nostrarum concertationum finis, procul dubio numquam sine fructu disputabimus.

II. Nulla iis de rebus instituenda disceptatio est, quae vel sunt certissimae, vel humanum captum plane superant. Quae namque certissima sunt, perperam in controversiam vocantur. Quae vero nequeunt mente comprehendi, frustra a nobis disputando inquiruntur.

III. Caveamus quoque oportet, ne cum iis disceptemus, qui de rebus omnibus dubitant. Rem enim cum iis agere perinde est omnino, ac aërem verberare. Nihil quippe determinabitur unquam; cum nihil ab illis detur, quo pedem figere valeamus.

IV. Disputantes sint in colloquio mites, in audiendo quieti, in docendo officiosi, in respondendo blandi.

Regulae Disputationis pro Defendente.

I. Antequam concertatio incipiat, Defendentis est quaestionis statum explicare. Quocirca in prolegomenis thesim, seu propositionem, de qua disputandum est, verbis quam usitatissimis, et quammaxime aptis enunciet; illius sensum nitidissime exponet, subjecti, ac praedicati notiones determinando; nihilque dubium, vel subobscurum relinquat.

II. Expletis prolegomenis, thesim jam explicatam iterum enunciet, eamque probet uno, vel pluribus argumentis, curetque ut inter multa, quae vel in selectis Auctoribus legit, vel ope Analyscos invenit, validissima seligat, eaque proponat rectae argumentationis regulis exactissime servatis: invalidiora vero omnino omittat, ne forte iis ab adversario eversis, in ipso concertationis initio turpiter succumbat.

III. Diligenter excogitet, semperque in promtu habeat rationes, quibus strenue tueri possit thesis probationes, si forte eas ab adversario oppugnari contingat.

IV. Defendens, probata jam thesi, det locum Opponenti, ut contra arguat, ejusque argumentationem fideliter repetat, saltem quoad sensum; quoad ubi praestiterit, singulas iterum assumat propositiones, de iisque judicium ferat negando falsas, concedendo veras, ac distinguendo dubias, adhibita hac vulgari formula: *distinguo majorem, vel minorem*; easque secundum sensum propugnatae propositioni contrarium neget, et secundum alterum sensum concedat. Quod si vel una, vel ambae praemissae sint dubiae, ita tamen, ut sive verae, sive falsae sint, propositam thesim minime feriant, eas neque neget, neque concedat, sed omittat illa formula: *transeat major, vel minor.* Si conclusio non colligatur legitime ex praemissis etiam veris, tunc concedat praemissas, et neget consequentiam. Caveat tamen, ne id faciat in syllogismis recte efformatis; in iis enim ex veritate praemissarum necessario sequitur conclusionis veritas. Caveat etiam, ne distinguat consequentiam; consequentia enim confundi non debet cum conclusione, seu consequente, cum nihil aliud sit, nisi nexus conclusionis cum praemissis, qui nexus vel datur, vel non datur, ideoque aut concedi aut negari debet, nequaquam vero distingui. Quod si con-

lusio ipsa dubia fuerit, tunc dicet: distinguo consequens, vel conclusionem, non autem consequentiam. Si argumentatio sit syllogismus compositus, Defendens in ferendo judicio de illius propositionibus, ob oculos habeat regulas traditas in secunda, et tertia parte Logicae de propositionibus, et syllogismis compositis.

V. Defendens si negaverit vel unam ex praemissis, non tenetur respondere; idem dicas, si praemissis concessis, neget cunsequentiam. In utroque enim casu, Opponens tenetur probare, quod sibi negatum est.

VI. Si Defendens utramque, vel alterutram ex praemissis distinguat, vel omittat, et conclusionem neget, vel etiam distinguat, aut omittat; in hisce casibus tenetur responsum dare, et quidem explicando distinctionem, si ea usus fuerit, et ostendendo propositionem in argumento allatam, eo sensu, in quo conceditur, thesi non adversari; in sensu autem, in quo sumta thesi adversaretur, esse falsam. Si vero propositionem omiserit, respondeat primo ostendendo, thesim non labefactari, etiam data tanquam vera propositione omissa: deinde ostendat, propositionem ideo omissam a se fuisse, quia falsa est. Atque ita deinceps se gerat in expendendis reliquis adversarii argumentis.

VII. Caveat Defendens, ne permittat ut adversarius aliquid veluti certum, aut sibi concessum assumat, quod neque vere datum illi fuerit, neque jure possit pro certo haberi. Licitum quippe Defendenti non est vocare in dubium, multoque minus negare, quod semel etiam incaute opponenti concessit. Ceterum super hac re optandum, ut Disputantes ob oculos potius haberent aureum illud monitum D. Augustini, quod legitur lib 1. de Academicis cap. 3. En ejus verba: « Ad ea, quae temere con-
» cessa sunt, rursum redire, hoc non solent concedere
» illi, quos ad disputandum non inveniendi veri cupidi-
» tas, sed ingenii puerilis jactantia impellit. Itaque apud
» me, praesertim cum adhuc nutriendi, educandique sitis,
» non tantum conceditur, sed etiam in praeceptis habeatis
» volo, ad ea vos discutienda redire oportere, quae con-
» cesseritis incautius.

VIII. Maxima, qua fieri potest attentione, consideret Defendens terminos omnes, qui ab Opponente adhibentur eique nullum permittat, qui sibi vel obscurus sit, vel ambiguus videatur. Si quis proinde hujuscemodi occur-

rerit, modeste petat, ut explicetur. Plerumque enim cidit, ut lites, quae initio interminabiles videbantur, sola unius termini definitione statim diremtae sint.

Regulae Disputationis pro Opponente.

I. Thesi a Defendente jam probata, Opponens argumentandi initium faciat, Defendentem petendo antithesi, quam probet syllogismo, vel enthymemate, cujus conclusio sit ipsa antithesis, caveatque ne fallaciis utatur, sed legitimae argumentationis formam accurate sectetur; et si Defendens vel alterutram ex praemissis negaverit, vel concessis praemissis, negaverit consequentiam, in hisce casibus Opponens novo argumento directe probet, quod sibi a Defendente negatum est, ita ut novi syllogismi conclusio sit eadem negata propositio: quo peracto, sileat, donec Defendens suam responsionem absolverit.

II. Contra datam a Defendente responsionem insurgat Opponens propositione contradicente, quae appellari solet subsumtum, vel minor subsumta, eamque probet novo syllogismo. Probatio autem subsumti diversa esse debet pro diversitate responsionis a Defendente datae. Nam si Defendens usus fuit distinctione, tunc Opponens subsumtum ita intorquere, et probare debet, ut vel ostendat, propositionem a Defendente distinctam eo ipso sensu veram esse, quo ab adversario negata fuit; vel ostendat, etsi in illo dumtaxat sensu vera est, quo a Defendente conceditur, adhuc tamen ejus thesim corruere: Si vero Defendens omittendo praemissas, negaverit consequentiam, ideoque et conclusionem, Opponens in hoc casu subsumtum, ejusque probationem ita contra Defendentem dirigere debet, ut ostendat et omissas propositiones veras esse, et ex iis legitime inferri negatam conclusionem thesi contradicentem. Atque ita ab utroque disputante alternis vicibus procedendum est recto tramite, ut neque Defendens vaga declamatione Opponenti satisfacere conetur, sed apta solutione respondeat; nec Opponens a scopo unquam deflectat, sed ad illum recta via tendat, quem sibi disputationis initio finem constituit. Hinc

III. Caveat Opponens, ne medium mutet, quod primo ad thesim impugnandam assumserat. Mutare siquidem medium nequit Opponens, quin propriae famae multum detrahat. Inde

enim jure inferri posset, aut medium, quod primo assumserat, nullius roboris esse; aut ipsum nonnisi leviter versatum esse in re, de qua disceptatur; aut demum leges optimae argumentationis ab eo penitus ignorari.

IV. Soluto objectae difficultatis nodo, satius est, ut Opponens quiescat, quam aut aliud medium assumat, aut optimam solutionem futilibus cavillationibus labefactare conetur. Suo enim fine tunc frustraretur disputatio; neque Opponens suadere nnquam poterit, se non invida contradicendi prurigine, sed inquirendae dumtaxat veritatis studio in arenam descendisse. Nemo porro turpe ducat, vel eminus conspecta veritate, arma deponere.

V. Tandem si Opponens victoriam in se inclinare senserit, argumenti vim intelligentibus se aperuisse contentus, finem disputationi imponat, haudquaquam a Defendente importune postulando, ut propositae difficultati plane satisfaciat. Hinc quippe certo fiet, ut modestia Opponentis delinitus Defendens ab errore deduci se patiatur; quem alioquin obstinate defenderet, si ab Opponente inurbane provocatus, indignatione, atque pudore a vero contemplando alienaretur.

Atque hae sunt praecipuae disputationis regulae; si quae reliquae sunt, exercitatione addiscentur.

FINIS QUARTAE PARTIS.

APPENDIX.

Exempla Disputationum Scholasticarum.

Ut regulae hactenus traditae Tironum mentibus altius imprimantur, simulque innotescat modus, quo iis uti oporteat, visum est Logicis institutionibus hanc Appendicem adjicere, in qua nonnulla Scholasticarum Disputationum exempla proponerentur. In ea porro tres tantum quaestiones agitandas assumemus, quarum prima de scientia primi hominis; secunda de natura Logicae; tertia de ejusdem objecto instituetur. Quas quidem quaestiones ideo prae ceteris seligere statuimus, tum quia cum iis, quae hucusque dicta sunt, quammaximam affinitatem habent, tum quia in illis quamplura ad Logicam pertinentia dilucidius enucleantur.

DISPUTATIO I.

De Scientia Primi Hominis.

Prolegomena.

Philosophia generatim sumta definitur: Cognitio vera, certa, et evidens rerum naturalium per causas, seu rationes; cujus definitionis explicationem jam dedimus initio harum institutionum. Verum speciatim considerata duplici modo sumi potest, objective scilicet, et subjective. Objective sumta est complexus veritatum naturalium certe, et evidenter per causas, seu rationes cognitarum. Sumta vero subjective nihil aliud est, nisi habitus veritates naturales certe, et evidenter per causas, seu rationes cognoscendi. Porro hujusmodi habitus consistit in promtitudine quadam, seu facilitate, qua quis minore tempore, vel minore labore, quam alias requirebatur, veritatum naturalium certam, et evidentem cognitionem assequi, earumque causas, seu rationes noscere, et reddere potest. Philosophiam hoc secundo modo sumtam, eamque perfectam, eo nimirum perfectionis gradu, qui menti humanae competere potest, primo hominum parenti, idest Adamo, a Deo liberaliter inditam fuisse ostendemus. Sed antequam propositam veritatem propugnandam aggrediamur, praecipiendum videtur, nullam hic a nobis quaestionem institui, an Adamus habuerit notitiam rerum supernaturalium ex eo, quod vita hominis ordinetur ad quemdam finem supernaturalem. Quamvis enim de his supernaturalibus tantam cognitionem primus homo acceperit, quanta erat necessaria ad regendam vitam humanam secundum statum illum; tamen id nullatenus ad Philosophos, sed potius ad Theologos pertinere nemo non videt. Quamobrem praesens quaestio tota vertitur circa res naturales, illas nimirum, quae naturali hominum studio cognosci possunt, quarum quidem philosophice cognoscendarum habitum a Deo infusum fuisse asserimus Adamo, non quatenus fuit homo simpliciter, sed quatenus fuit primus homo. Sit igitur

PROPOSITIO.

Deus perfectam Philosophiam infudit Adamo.

Probatur propositio ratiocinio, quo utitur D. Thomas Summae Theologicae parte, 1. quaest: 94. art: 3. En ejus verba: Res primitus creatae fuerunt a Deo non solum ut in se ipsae essent, sed etiam ut essent aliorum principia; et ideo productae fuerunt in statu perfecto in ea re, in qua deberent esse principia aliorum. Atqui Adamus debebat esse principium aliorum non solum per generationem corporalem, sed etiam per instructionem, quippe qui erat primus homo constitutus a Deo non solum ut esset parens, sed etiam ut esset praeceptor filiorum. Ergo sicut institutus fuit in statu perfecto quoad corpus, ut statim posset generare, ita etiam debuit institui in statu perfecto quoad animam, ut statim posset alios instruere. Atqui nemo potest alios instruere, nisi habeat scientiam. Ergo Adamus habuit a Deo scientiam rerum omnium, in quibus homo naturaliter instrui potest, quae scientia non est alia, nisi philosophia, quam modo definivimus. Ergo Adamus habuit a Deo philosophiam.

Confirmatur ex Scripturis. Ecclesiastici cap: 17. v. 6, sic habetur: Creavit illis (nempe Deus Adamo, et Evae) scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, et bona ostendit illis. Quo testimonio manifestum videtur, utrique infusam fuisse philosophiam. Dico infusam. Nam triplici tantum ratione potuit Adamus obtinere philosophiam, scilicet vel inventione, vel doctrina, vel infusione. Atqui non eam obtinuit vel inventione, vel doctrina. Ergo obtinuit infusione. Probatur minor: et primo quidem non eam obtinuit inventione; ad hoc enim longo indiguisset temporis intervallo, nec proinde fuisset a Deo conditus perfectus, quod Majestati Divinae repugnat. Secundo non eam obtinuit doctrina; etenim conveniens non erat, eum ab Angelo erudiri, quem Deus citra Angeli operam creaverat, ne vel tantum, vel fortasse plus se debere credidisset Angelo, qui bene esse, quam Deo, qui esse simpliciter tribuisset. Ergo Adamus accepit philosophiam a Deo per infusionem. Ergo Deus perfectam philosophiam infudit Adamo.

Refutantur Argumenta.

Opp: 1. Adamus non habuit a Deo perfectam Philosophiam. Ergo ruit thesis. Probatur antecedens: Qui deceptus fuit in rebus naturalibus, non habuit a Deo perfectam philosophiam. Atqui Adamus deceptus fuit in rebus naturalibus. Ergo non habuit a Deo perfectam philosophiam. Probatur minor: Adamus deceptus fuit a serpente circa naturam pomi. Ergo Adamus deceptus fuit in rebus naturalibus. Probatur antecedens: Quando Deus interrogavit Adamum, et Evam, cur pomum vetitum manducassent, Eva respondit: serpens decepit me. Ergo Adamus deceptus fuit a serpente circa naturam pomi.

Respondeo negando antecedens; cujus probationis nego minorem; cujus probationis nego antecedens; cujus probationis nego consequentiam, et dico, Evam solam fuisse deceptam, non Adamum. Id autem probat primo diversa longe ratio, qua peccatum excusant. Adamus enim se à muliere deceptum non ait, sed illi fructum vetitum porrigenti obsequutum: mulier, inquit, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi. At mulier se a serpente deceptam queritur: serpens, inquit, decepit me, et comedi. Secundo idem probant Apostoli verba 1. ad Timoth: Adam primus formatus est, deinde Eva; et Adam non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione fuit. Hinc vides, Adamum non fuisse deceptum in rebus naturalibus, proindeque perfectam philosophiam a Deo habuisse.

Inst: Atqui non solum Eva, sed etiam Adam deceptus fuit a serpente. Ergo ruit responsio. Prob: subsumtum: Non solum Eva, sed etiam Adam fecit, quod serpens suaserat. Ergo non solum Eva sed etiam Adam etc.

Resp. neg: subs; cujus probationis distinguo antecedens: Adam fecit, quod serpens suaserat, quasi crederet verbis serpentis, nego; ut indulgeret uxori, concedo: quare negata consequentia, respondeo, Adamum pomum vetitum sibi ab uxore allatum comedisse, non quia credidit verbis serpentis, qui scientiam boni, et mali, et aequalitatem cum Deo ex pomi esu illius pollicebatur; sed ut indulgeret uxori, quam cum sociam in felicitate habuisset, noluit contristare, ac solam in miseriis relinquere, ut testatur D. Augustinus lib. XI. de Genesi ad litteram; ideoque nulla fuit in eo deceptio, sed sciens, et prudens

peccavit. Ceterum quamvis concederemus, Adamum deceptum fuisse a serpente, tamen non inde sequeretur, illum perfectam philosophiam non habuisse. Nam nos per philosophiam perfectam non intelligimus scientiam, quae excludat omnem omnino imperfectionem, qualis est scientia Divina; hanc enim Adamus nullo modo habere potuit, utpote creatus, ac finitus; sed intelligimus scientiam perfectam ea perfectione, cujus capax esse potest creatura, quaeque propterea non excludit omnem imperfectionem, sed eam tantum, quae excludi potest ab ente creato. Igitur secundum hanc explicationem, Adamus erat perfectus philosophus hoc sensu, nimirum eam perfectionem in philosophia habebat, quae naturali hominum studio, ac labore comparari potest. At cum intellectus creatus finitus sit, ac limitatus, nec unico intuitu veritates omnes, earumque nexum perspicere possit: hinc sequitur, Adamum, quamvis perfecte philosophum, tamen decipi potuisse circa res naturales, non quidem ex defectu cognitionis, sed ex defectu attentionis, quemadmodum contingere solet, ut nos ex defectu attentionis erremus etiam circa res notas. Atque hinc etiam patet, deceptionem Evae minime probare, illam rerum naturalium cognitionem non habuisse: quamvis enim ea cognitione una cum Adamo a Deo donata fuerit; ut Scripturae testantur; tamen potuit decipi tum ob rationes allatas, tum etiam, quia Evae cognitio non erat ita perfecta, uti erat cognitio Adami; siquidem par erat, ut utrisque infusa cognitio sexui, et officio esset proportionata. Atque haec obiter dicta sint; non enim hic de Evae scientia agitur, sed tantum de scientia Adami, contra quam propositum argumentum nihil probat, etiamsi concederemus, illum deceptum fuisse a serpente. At magis, ac magis propositi argumenti levitas innotescit ex eo, quod Adamus pomum comedit non quia a serpente deceptus illius verbis credidit, sed ut uxori indulgeret, quemadmodum testimonio D. Augustini innixi in praecedente responsione asseruimus.

Inst: Atqui Adamus pomum comedit, non ut uxori indulgeret, sed quia credidit verbis serpentis. Ergo ruit data responsio. Pro: sub: Qui speravit, quod serpens ei pollicebatur, ille credidit verbis serpentis. Atqui Adamus speravit scientiam boni, et mali, quam serpens ei pollicebatur. Ergo etc.

Resp: neg: sub: cujus probationis transeat minor; quare negata consequentia, dico, me ideo minorem omisisse, quia sunt nonnulli, qui huic argumento respondent, Adamum revera speravisse scientiam aliquam, sed scientiam supernaturalem, quam non habebat, non autem naturalem, qua praeditus erat. Et quidem serpens promiserat Evae se una cum Adamo, si pomum comedissent, assecuturam non vulgarem aliquam scientiam, sed excellentiorem, quae illos pares Deo redderet: ait enim, eritis sicut Dii, scientes bonum, et malum. Igitur quamvis daremus, Adamum revera speravisse scientiam boni, et mali a serpente promissam, tamen haudquaquam inde sequeretur, illum scientiam naturalem non habuisse. Atque haec fuit ratio, cur minorem propositi argumenti omisimus. Ceterum haec responsio quamvis ad diluendam propositam difficultatem, et ad thesim tuendam optima videatur, eam tamen rejicimus, utpote a veritate alienam. Si enim hoc verum esset, nimirum Adamum revera speravisse hanc scientiam, dicendum esset, illum credidisse verbis serpentis, ac proinde seductum, quod repugnat testimoniis Apostoli Pauli, et D. Augustini supra relatis; ideoque neganda est minor.

Inst: Atqui Adamus revera speravit scientiam boni, et mali, quam serpens pollicebatur. Ergo etc. Pr: sub: Posquam Adamus pomum comedit, ex Scripturis habemus Deum ironice dixisse: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum, et malum. His positis, sic argues: Allatis verbis Deus Adamum reprehendit, eo quod speraverit scientiam boni, et mali. Atqui reprehensio locum non haberet, nisi Adamus revera hanc scientiam sperasset. Ergo etc.

Resp: Admitto textum Scripturae in sensu explicando. Ad argumentum vero inde conflatum resp: dist: minorem: Reprehensio locum non haberet, nisi Adamus scientiam illam sperasset vel speculative, vel saltem practice, concedo; speculative tantum, nego: quare nego consequentiam, et respondeo, peccatum Adami ex duplici aspectu posse considerari, nimirum quoad speculativum, et quoad practicum. Si spectemus illud quoad speculativum, idest si rationem investigemus, cur Adamus pomum comedit, reperiemus profecto, Adamum in eo opere perficiendo non intendisse scientiam boni, et mali, ut ex praecedentibus responsionibus patet. Sed si peccatum illud quoad

practicum spectemus, id est si attendamus ad ea, quae exterius acta sunt, videtur Adamus scientiam illam sperasse. Nam serpens ad pomum comedendum spe hujus scientiae Evam induxit: Eva hac eadem spe pomum porrexit Adamo: Adamus non solum uxorem non reprehendit, verum etiam illi indulsit, et pomum comedit. Haec omnia videntur indicare illum speravisse scientiam a serpente promissam. Hinc merito a Deo reprehenditur; perinde enim in praxi se gessit, ac si revera scientiam illam speravisset. Quod autem illam revera non speraverit, nos certos reddit Apostolus, qui testatur, Adamum non fuisse seductum a serpente; quod profecto verum non esset, si scientiam a serpente promissam ex pomi esu se consequuturum speravisset.

Inst: Atqui Adamus non practice tantum, sed etiam speculative speravit scientiam boni, et mali. Ergo etc. Pr: sub: Adamus pomum comedit vel quia scientiam boni et mali speculative speravit, vel quia voluit indulgere uxori. Atqui falsum posterius. Ergo verum prius. Pr: min: Si Adamus pomum comedisset causa indulgendi uxori, illam amore inordinato prosequutus fuisset. Atqui falsum consequens: Ergo et antecedens. Pr: min: In statu innocentiae nihil erat inordinatum in Adamo. Ergo non potuit amore inordinato prosequi uxorem.

Res: neg: sub: cujus probationis nego minorem; cujus probationis etiam nego minorem; cujus probationis nego consequentiam. Quamvis enim in statu innocentiae omnia fuerint ordinata in Adamo, potuit tamen ille hujusmodi ordinem pervertere; libertate enim a Deo donatus fuerat, qua perverse abutens potius uxori indulgendum duxit, quam Deo obtemperandum.

Inst: Atqui si Adamus perfectam philosophiam habuisset, nunquam uxori indulsisset. Ergo etc. Pr: sub: Perfecta philosophia suadet non esse indulgendum uxori in iis, quae a Deo prohibentur. Ergo etc.

Resp. neg: sub: cujus probationis nego consequentiam, et dico, perfectam philosophiam suadere quidem facienda non esse quae a Deo prohibentur, sed minime cogere: proindeque licet Adamus probe novisset non esse uxori indulgendum, tamen quia libertate utebatur, ei indulsit. Inde autem nihil aliud inferri potest, nisi illum ex malitia peccasse, quod nos ultro concedimus.

Opp: 2: Thesis philosophica ut recte propugnetur, ra-

tionibus naturali lumine notis propugnanda est. Atqui haec thesis non ita propugnatur. Ergo non recte. Pr: min: Haec thesis propugnatur argumento ex Sacris Scripturis desumto, nempe ex cap: 17. Ecclesiastici. Ergo non propugnatur rationibus naturali lumine notis.

Resp: neg: min: cujus probationis dist: ant: et argumentum illud affertur tanquam confirmatio principalis argumenti, concedo; affertur tanquam unica, aut principalis probatio, nego: quare negata consequentia, respondeo, nostram thesim principaliter, atque adeo unice a nobis probatam ratione naturali, nempe ratiocinio, quo utitur D. Thomas; Sacrae autem Scripturae auctoritatem a nobis allatam fuisse non ad directe probandam, sed ad confirmandam sententiam nostram de Adami philosophia, ut inde innotesceret, nostram thesim etiam Divina auctoritate fulciri.

Inst: Atqui argumentum a naturali ratione deductum, quo ad thesim probandam utimini, falsa suppositione laborat. Ergo, illo corruente, consequitur, propositam thesim aut omnino corruere, aut sola Scripturae auctoritate inniti. Pr: sub: Argumentum a naturali ratione deductum, quo ad thesim probandam utimini, supponit, Adamum non potuisse a Deo creari cum ignorantia rerum naturalium. Atqui haec suppositio falsa est ex Augustino, qui lib: 1. Retract: cap: 9. ait: Quamvis ignorantia, et difficultas, etiamsi essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus. Ergo etc.

Resp: neg: sub: cujus probationis distinguo majorem; argumentum a naturali ratione deductum, quo ad thesim probandam utimur, supponit Adamum non potuisse a Deo creari cum ignorantia rerum naturalium, ex justitia, nego; ex quadam convenientia, subdistinguo, si Adam consideretur simpliciter ut homo, transeat; si consideretur, ut primus homo, et filiorum praeceptor, concedo: et distincta eodem pacto minore, nego consequentiam; et responsio patet ex distinctione. Verba autem D. Augustini, sufficit nobis ad thesim tuendam, ut intelligamus de homine in se, et simpliciter considerato. In subdistinctione vero, ad propositionem illam, nempe Adamum in se, et simpliciter ut hominem consideratum ex quadam convenientia non potuisse a Deo creari cum ignorantia rerum naturalium, dixi transeat, ne difficillimis, et ad

philosophos minime pertinentibus de status naturae purae possibilitate, aut impossibilitate quaestionibus implicarer.

Inst: Atqui Adamus considerari non debet, ut praeceptor filiorum. Ergo etc. Pr: sub: Adamus non docuit filios philosophiam, quod probat imperitia primorum hominum in multis, ac praecipue in artibus, quae successu temporis paulatim inventae sunt, et gradatim perfectionem acquisierunt. Ergo etc.

Resp: neg: sub: cujus probationis omitto antecedens, et nego consequentiam. Ideo autem omisi antecedens, quia quamvis concederem, Adamum non docuisse filios philosophiam, inde tamen non sequeretur ea caruisse: potuit enim esse perfecte philosophus, et nihilominus culpa sua filiorum institutionem negligere, praesertim cum nonnisi post lapsum filios susceperit. Neque dicas, ex hac responsione inferri posse, ei philosophiam inutiliter a Deo infusam fuisse; inutilia enim censenda non sunt, quae Dei Sapientiae, ac Bonitati conveniunt, licet iis malitia sua homines abutantur. Ceterum omissa propositio jure meritoque neganda esset; ex nulla enim historia probari potest, primos homines fuisse omnino imperitos; et si qua contra objici solent, ea vel sunt commenta poetarum, vel sunt conjecturae nullo innixae fundamento. Imo ex historiis contrarium conjicere possumus, cum sciamus, homines eo fuisse remotiores a superstitione, et idololatria, quo antiquiores: quod profecto argumento est primos homines sapientiores fuisse. Praeterea fateor, quamplures artes primis temporibus non extitisse, non quidem ex defectu cognitionis primorum hominum, sed quia tunc temporis necessariae non erant, ideoque institutae non fuerunt.

Opp: 3. Si Adamus perfectam philosophiam habuisset, nullus eum scientia praecessisset. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens. Pr: min: Lib: 3. Regum cap. 3. dixit Dominus Salomoni: Dedi tibi cor sapiens, et intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. Ergo Salomon praecessit Adamum sapientia.

Resp: concedendo sequelam majoris, et negando minorem; cujus probationis, admisso Scripturae textu in sensu explicando, nego consequentiam. Quod enim dictum est de Salomonis sapientia, id tantummodo compa-

tate ad Reges Israel accipiendum est. Siquidem lib. 2. Paralipomenon cap. 1. ubi eadem Dei alloquutio refertur, inquit Deus Salomoni v. 12: Sapientia, et scientia data sunt tibi: divitias autem, et substantiam, et gloriam dabo tibi, ita ut nullus in Regibus nec ante, nec post te fuerit similis tui. Praeterea dici potest, propositionem illam esse universalem moralem, non metaphysicam, adeo ut sensus sit, Salomonem omnes sapientia superasse, praeter Adamum.

Opp. 4. Qui habet perfectam rerum omnium naturalium cognitionem, in ea proficere non potest. Atqui Adamus in rerum naturalium cognitione proficere potuit; alioquin dicendum esset, ejus intellectum supra naturalem hominis conditionem elevatum fuisse. Ergo perfectam rerum omnium naturalium cognitionem non habuit.

Resp. dist. maj: Qui habet *actualiter* rerum omnium naturalium cognitionem, in ea proficere non potest, concedo, qui habet *habitualiter*, in ea proficere non potest, nego; et concessa minore, distinguo eodem modo consequens: Ergo Adamus perfectam rerum omnium naturalium cognitionem non habuit actualiter, concedo; habitualiter, nego: et responsio patet ex distinctione, et ex iis, quae de philosophia subjective sumta in prolegomenis dicta sunt.

Opp. 5. Si Adamus habuisset a Deo philosophiam per infusionem, ea fuisset diversa a philosophia ceterorum hominum. Atqui non debuit esse diversa. Ergo eam non habuit per infusionem.

Resp. distinguendo sequelam majoris: fuisset diversa, quoad modum habendi, concedo; quoad entitatem, nego: et distincta eodem pacto minore, nego consequentiam; et responsio patet ex distinctione. Si qua super hac quaestione explananda supersunt, legantur apud D. Thomam in loco supra citato, et apud Edmundum Purchotium Exercitationum Ontologicarum Disputat. 1. quaestione 3.

DISPUTATIO II.

De. Natura Logicae.

Prolegomena.

Quoniam primi Parentis lapsus humanam mentem multis erroribus obnoxiam reddidit ita, ut cum in veritate inquirenda, tum in prosequendo bono non raro decipiatur; hinc duabus opus fuit artibus, quarum altera voluntatem dirigeret in bono eligendo; altera vero in veritate detegenda juvaret intellectum.

Harum priorem ἀπὸ τῶν ἠθῶν seu moribus, quos temperat, Ethicam dixere veteres; posteriorem vero ἀπὸ τȣ̃ λόγȣ, ratione scilicet, quam dirigit, dixere Logicam. Est igitur Logica ars cogitandi, seu modus recte ratione nostra utendi. Naturale illud lumen a Deo Optimo Maximo hominibus communicatum, quo et a ceteris animantibus secernerentur, et de his, quae in Orbe sunt, disputarent, id demum effecit, ut variis adhibitis observationibus, regulae quaedam in unum cogerentur, quibus intellectui nostro ad bene, recteque agendum via sterneretur.

Hinc prima oboritur Logicae divisio in naturalem, et artificialem, seu acquisitam. Naturalis Logica est ipsa ratiocinandi facultas a Deo indita, qua praediti rudes, et imperiti quoque sunt homines. Artificialis vero est ipsa regularum collectio longo usu, studioque comparata, quae mentem dirigit in cogitationibus suis. Hic de artificiali tantum agimus, non de naturali

Altera Logicae divisio est in docentem, et utentem. Docens Logica ea dicitur, quae regulas tradit, quibus intellectum nostrum in veritatis inquisitione juvare oporteat: utens vero ea appellatur, quae regulas ipsas traditas exequutioni demandat, seu est usus earumdem regularum; usus enim est applicatio ad opus.

His explicatis, quoniam intellectus noster quinque potissimum perficitur, Intelligentia scilicet, quae circa principia per se nota versatur; Sapientia, quae res sublimiores respicit; Scientia, quae est cognitio vera, certa, et

evidens rei necessariae, et immutabilis per causas, seu rationes; Prudentia, quae versatur circa agenda; Arte demum, quae mentem instruit circa opera facienda, ut navium, domorum, horologiorum, etc. structuram: examinandum nunc est, quo Logica artificialis pertineat. Sit igitur

PROPOSITIO

Logica est Scientia Practica

Probatur prima pars. Scientia est cognitio vera, certa, et evidens rei necessariae, immutabilis per ejus rationes. Atqui hujusmodi est Logica; quicquid enim in illa traditur, verum certumque esse per evidentissimas rationes innotescit. Ita ex: gr: demonstrant Logici, perceptionem intellectus per se falsam non esse; quia nihil affirmat, nec negat: definitionem constare debere ex genere, et differentia, quia rei naturam, quae genere, et differentia continetur, exprimit; syllogismum tribus necessario constare terminis, quia est probatio affirmans, aut negans unum de alio per aliud; atque ita de ceteris. Ergo Logica est scientia.

Probatur secunda pars. Scientia dividitur in practicam, et speculatricem, ita ut practica ea sit, quae ad praxim, sive opus tendit; speculatrix vero, quae solam contemplationem spectat. Atqui Logica non contemplatur dumtaxat veritates, sed opus etiam efficit, definitionem scilicet, syllogimum, et hujusmodi alia. Ergo Logica est scientia practica

Quoniam vero practica scientia, et ars liberalis nullo pacto inter se differunt, hinc nihil impedit, quominus Logicam liberalem artem dicamus; unde et ars cogitandi dicitur ab Arnaldo. Ars autem Mechanica nequaquam est; Mechanica enim opera externa respicit, et servilia; Logica vero opera respicit interna, ac liberalia. Ergo Logica est scientia practica

Refutantur Argumenta.

Contra primam partem opp: 1. Omnis Scientia versatur circa objectum necessarium. Atqui Logica non versatur circa objectum necessarium; versatur enim circa men-

tis operationes, quae contingentes sunt. Ergo Logica non est Scientia.

Resp: distinguendo majorem: Omnis Scientia versatur circa objectum necessarium necessitate essentiae, concedo; necessitate existentiae, nego. Simili modo distinguo minorem: Logica non versatur circa objectum necessarium necessitate existentiae, concedo; necessitate essentiae, nego. Quare nego consequentiam, et respondeo, duplicem necessitatem distinguendam esse, nimirum necessitatem existentiae, et necessitatem essentiae. Illud est necessarium necessitate existentiae, quod ita existit, ut non possit non existere: qua ratione solus Deus est necessarius. Illud vero necessarium est necessitate essentiae, quod ex certis principiis essentialibus sic constat, ut non possit ex iis non constare. Ita ex: gr: triangulum quamvis non sit necessarium quoad existentiam, cum describi possit, et non describi; tamen quoad essentiam necessarium est: ita enim ex tribus lateribus constat, ut non possit ex iis non constare. Porro cum dicimus Scientias versari circa objecta necessaria, id non est intelligendum de necessitate existentiae, sed tantum de necessitate essentiae. Et quidem hujusmodi necessitas in objecto scientiae non ob aliud requiritur, nisi ut scientia possit esse cognitio certa. Atqui, ut rei alicujus certa cognitio habeatur, non requiritur, ut res illa necessario existat, sed sufficit ut habeat essentiam necessariam, id est ut ex certis principiis essentialibus ita constet, ut non possit ex iis non constare. Ita ex: gr: ut certam trianguli cognitionem habeam, non requiritur, ut triangulum necessario existat; sed sufficit ut numerus ternarius laterum sit ei necessarius, hoc est, ut ita ex tribus lateribus constet, ut non possit ex iis non constare: hac enim ratione cognitio trianguli erit certa, quia semper eadem, semper fixa, semper immutabilis, sive triangulum existat, sive non existat. Ex his patet, proposito argumento nihil confici contra thesim: operationes enim nostrae mentis, circa quas Logica versatur, quamvis non sint necessariae quoad existentiam, quia possunt fieri, vel non fieri; tamen necessariae sunt quoad essentiam, quia ex certis principiis essentialibus sic constant, ut non possint ex iis non constare. Ex: gr: Definitio ita ex genere, et differentia constare debet, ut aliter fieri non possit: Syllogismus ita ex tribus terminis, totidemque propositionibus componitur, ut non possit ex iis non

componi; licet tam definitio, quam syllogismus necessariam non habeant existentiam.

Inst: Atqui si Logica versatur circa objectum necessarium sola necessitate essentiae, Logica non est Scientia. Ergo etc. Pr: sub: Obiectum Scientiae debet esse necessarium etiam necessitate existentiae. Ergo etc. Pr. ant: Major necessitas requiritur in objecto Scientiae, quam in objecto Artis. Atqui objectum Artis est necessarium necessitate essentiae; quandoquidem rerum omnium essentiae sunt necessariae, ut in Ontologia demonstrabitur. Ergo etc. Pr: maj: Scientiae, et Artes nequeunt habere objecta aeque necessaria. Ergo etc. Pr: ant: Si Scientiae, et Artes haberent objecta aeque necessaria, non differrent inter se. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens.

Resp: neg: sub: cujus probationis nego ant: cujus probationis neg: maj: cujus probationis nego ant; cujus probationis distinguo sequelam majoris, si eodem modo versarentur circa objectum suum, concedo; secus, nego; et concessa minore, nego consequentiam. Igitur ut facultas aliqua scientia dicatur, duo requiruntur; primo ut versetur circa objectum necessarium saltem quoad essentiam, secundo ut circa objectum suum demonstrative procedat. Quod quidem patet ex ipsa Scientiae definitione. Scientia enim est cognitio certa; ex quibus verbis colligitur, scientiam versari debere circa res necessarias saltem quoad essentiam, ob rationes allatas in praecedente responsione. Praeterea Scientia est cognitio acquisita per demonstrationem; ex quibus verbis eruitur, illam versari debere circa objectum suum demonstrative, hoc est quicquid tradit de objecto suo, id verum esse ex certis, indubiisque principiis debere ostendere, quemadmodum requirit natura demonstrationis. Ex his manifeste sequitur, facultatem aliquam, quae circa objectum necessarium quoad essentiam versatur, non statim dicendam esse scientiam, nisi etiam circa illud demonstrative versetur. Igitur quamvis omnium artium objecta necessaria sint quoad essentiam, inde tamen non sequitur, vel artes omnes dicendas esse scientias, vel Logicam inter scientias non esse numerandam. Nam Logica id habet commune cum ceteris artibus, quod objectum habet necessarium, quoad essentiam; in illo autem quam maxime differt, quod Logica, aliter ac in artibus accidit, circa objectum suum demonstrative procedit. At, inquies, in omnibus artibus sunt artifices,

qui adeo iis pollent, ut norint reddere rationem, ideoque demonstrative procedere circa objecta suarum artium. Ergo in hac hypothesi omnes artes merito vocari possent scientiae. Huic difficultati respondeo, morem invaluisse, ut ablegentur a numero scientiarum artes omnes serviles, quae nimirum opera respiciunt externa, et merito quidem: cum enim hae artes primario, atque unice existentiam objectorum suorum respiciant, nihil proprie loquendo demonstrant de objectis suis, tum quia fieri potest, ut quis artem calleat, hoc est industrie aliquid efficiat, quamvis, cur id fieri debeat, reddere nequeat rationem; tum quia si quando artifices operum suorum rationes reddunt, ejusmodi rationes non fundantur in ipsa rerum essentia, sed in hominum consuetudinibus, quae consuetudines cum sint mutabiles, rationes illae demonstrationes dici nequeunt, quippe quae principiis incertis, et mutabilibus innituntur. Quod si artifex veram quandoque de objecto suae artis demonstrationem efficiat, id non facit ut est artifex, sed forte ut superiore aliqua scientia instructus est. Ita ex: gr: si faber caementarius demonstret parietem esse rectum, si ad normam extructus est, haec demonstratio non pertinet ad artem caementariam, sed ad physicam, cum principio physico innitatur. Igitur artes serviles inter scientias numerandae non sunt, quippe quae nihil proprie demonstrant de objectis suis. Idem dicas de illis etiam artibus, quae circa objecta sua demonstrative non procedunt, licet non sint serviles, cujusmodi sunt Rhetorica, et Grammatica, quae nihil demonstrant de proprio objecto, cum illarum regulae pendeant ex hominum arbitrio. At Logica circa objectum suum demonstrative procedit; rationes enim, quas reddit, regularum suarum fundantur in ipsa rerum essentia: ita ex: gr: ostendit, Syllogismum tribus necessario constare terminis, quia essentia syllogismi est, ut facta comparatione duorum terminorum cum tertio in praemissis, illos in conclusione vel jungat, vel separet, et sic de ceteris. Hinc merito Logicam vocamus scientiam practicam: scientiam quidem, quia circa objectum suum demonstrative procedit; practicam vero, quia ad opus tendit. Hujusmodi etiam sunt artes omnes, quae non secus, ac Logica, demonstrative procedunt circa sua objecta, quales sunt Geometria, Arithmetica, Musica, et id genus aliae. Ceterae artes, quae hujusmodi non sunt, quam

maxime a scientiis differunt, licet objecta habeant necessaria quoad essentiam.

Inst: Atqui Logica non versatur demonstrative circa objectum suum. Ergo etc. Pr: sub: Regulae, quas tradit Logica de objecto suo, dici nequeunt demonstrationes. Ergo etc. Pr: ant: Demonstratio debet inniti principiis certis, et immutabilibus. Atqui regulae logicae non innituntur principiis certis, et immutabilibus. Ergo etc. Pr: min: Si regulae logicae inniterentur principiis certis, et immutabilibus, ex duabus propositionibus necessariis semper colligeretur conclusio necessaria. Atqui ex duabus propositionibus necessariis non semper colligitur conclusio necessaria, ut patet in hoc syllogismo: Omne quod currit, movetur: Omne, quod currit, est substantia: Ergo aliqua substantia movetur. In quo syllogismo praemissae sunt necessariae; conclusio vero contingens. Ergo etc.

Resp: neg: sub: , cujus probationis nego ant:, cujus probationis nego min: , cujus probationis dist: sequelam maj: ex duabus propositionibus necessariis semper colligeretur conclusio necessaria, si conclusio consideretur in syllogismo cum praemissis connexa, concedo; si consideretur extra syllogismum, nullaque habita ratione ad praemissas, nego. Simili modo distinguo minorem, et nego consequentiam. Igitur propositio aliqua potest esse necessaria, et contingens: contingens quidem, si consideretur extra syllogismum; necessaria vero, si eadem propositio consideretur in syllogismo legitime connexa cum praemissis. Ex: gr: haec propositio allata in argumento: Aliqua substantia movetur; si consideretur extra syllogismum, contingens est; sed si consideretur in syllogismo hoc modo: Omne quod currit, movetur; omne quod currit, est substantia; ergo aliqua substantia movetur; est necessaria. Quod sic ostenditur. Inter regulas propositionum, quas tradunt Logici, una est, ut in propositione affirmante praedicatum, si latius pateat subjecto, non accipiatur secundum integram suam extensionem, sed secundum tantam, quantam habet subjectum, ita ut extensio subjecti sit mensura extensionis praedicati. Ita dum dico, Petrus est homo, sensus non est, Petrum esse omnem hominem, sed esse hunc determinatum hominem. Inter regulas vero syllogismorum una est, ut termini in conclusione accipiantur secundum eandem extensionem, ac in praemissis. His animadversis regulis, in allato syllogismo, quando in

*

una praemissarum dicitur: omne, quod currit, est substantia; vox substantia non est accipienda secundum integram suam extensionem, sed secundum tantam, quantam habet subjectum *omne quod currit*, ita ut sensus sit: Omne, quod currit, est substantia, non quaevis, sed haec substantia determinata, nempe currens. Quando autem in conclusione dicitur: aliqua substantia movetur, cum subjectum *substantia* accipiendum sit in eadem extensione, ac in praemissis acceptum fuit, non intelligitur quaedam substantia indeterminata, sed quaedam substantia determinata, illa nimirum, quae in praemissis dicebatur, substantia scilicet currens: currens autem substantia necessario movetur. Hinc patet, hanc propositionem, idest *aliqua substantia movetur*, si seorsim a syllogismo spectetur, esse contingentem, si vero spectetur in syllogismo, esse necessariam. Igitur ex praemissis necessariis semper deducitur conclusio necessaria, si conclusio illa consideretur quatenus conjuncta est cum praemissis, et legitima illatione ex illis deducta, proindeque hujusmodi principium, quo utitur Logica, est certum, et immutabile; idem dicas de ceteris principiis, quibus innituntur logicae demonstrationes. Ergo Logica circa objectum suum demonstrative procedit, ideoque est Scientia.

Opp: 2. Logica dicitur modus sciendi, organum, et instrumentum Scientiarum. Ergo ipsa non est Scientia.

Resp: dist: ant: Logica dicitur modus sciendi, organum et instrumentum scientiarum, ita tamen, ut simul ipsa sit scientia, concedo; secus, nego. Quare nego consequentiam. Logica igitur dicitur modus sciendi, organum, et instrumentum scientiarum eodem modo, ac brachium dicitur organum corporis. Hinc quemadmodum ex eo, quod brachium sit organum corporis, non desinit esse corpus; ita ex eo, quod Logica sit organum scientiarum, non desinit esse scientia.

Inst: Atqui Logica ita est modus sciendi, et instrumentum et organum scientiarum, ut ipsa non sit scientia. Ergo etc: Pr: sub: Logica ideo dicitur modus sciendi etc: quia scientiae acquiruntur per Logicam. Ergo Logica non est scientia. Pr: cons. Si Logica esset scientia, deberet acquiri per Logicam. Atqui Logica acquiri non potest per Logicam; tunc enim per semetipsam acquireretur, quod est absurdum. Ergo Logica non est Scientia.

Resp: Duplicem Logicam distinguendam esse, ut ini-

tio diximus, naturalem videlicet, et artificialem. Naturalis est lumen ipsum rationis a Deo omnibus inditum, quo vera a falsis discernere possent. Artificialis est regularum collectio ab hominibus longo usu, ac studio comparata; quibus adjutus intellectus noster facilius, tutiusque veritatem inveniret. Quae quidem regularum collectio non ita necessaria censenda est ad scientias comparandas, ut sine ipsa scientiae nullo modo comparari possint. Etenim potest quis solo rationis lumine ductus veritates multas cognoscere, et scientias comparare, licet multo labore, et longinquiore tempore ad id opus habeat. Hoc profecto rationis lumine ducti primi philosophi regulas plerasque logicas invenerunt, et alii alias; et sic deinceps paulatim Logica perfectior evasit. Igitur Logica artificialis dici potest comparari per Logicam naturalem, quae quidem satis esse potest ad scientias acquirendas. Neque inde inferas, Logicam artificialem inutilem esse; nam per illam breviore, tutioreque via scientiae comparantur. Ex hac responsione erui potest distinctio danda propositionibus allatae argumentationis.

Opp: 3. Logica agit de Argumentatione probabili, et sophistica. Ergo non est scientia; argumentatio enim probabilis non parit scientiam, sed opinionem; sophistica vero argumentatio in errorem inducit, tantum abest ut scientiam pariat.

Resp: neg: consequentiam. Quamvis enim Logica agat non solum de argumentatione demonstrativa, sed etiam de probabili, non sequitur, eam non esse scientiam: alioquin plurimae facultates, quae vulgo scientiae dicuntur, haud essent tanto nomine dignae; cum si Geometriam, et Arithmeticam excipias, nulla ferme sit, quae probabilia plura non contineat. De argumentatione vero sophistica agit Logica, non ut ea utamur, sed ut ab ea caveamus.

Contra secundam partem opp: 1. Non potest eadem facultas esse scientia simul, et ars. Atqui Logica ex dictis est scientia. Ergo non est ars. Atqui si esset scientia practica, esset etiam ars. Ergo Logica non est scientia practica.

Resp: dist: maj: Non potest eadem facultas esse scientia simul, et ars, sub eadem ratione, concedo; sub diversa ratione, nego. Distinguo pariter minorem: Logica est scientia, quoad superiorem sui partem, concedo; quoad inferiorem partem, nego. Simili modo distinguo consequens: non est ars quoad superiorem sui partem, con-

cedo; quoad inferiorem, nego: et distincta eodem pacto minore subsumta, nego consequentiam. Pars superior Logicae est cognitio operationum mentis per certas quasdam, et immutabiles regulas efficiendarum; pars inferior est exequutio, seu productio ipsarum operationum. Logica spectata sub priore ratione, seu quoad partem superiorem, est scientia; spectata vero sub posteriore ratione, idest quoad partem inferiorem, est ars, ut cuique patet: propterea illam scientiam practicam dicimus.

Inst: Atqui Logica etiam quoad partem inferiorem spectata, dici nequit ars. Ergo etc: Pr: sub: Ars versatur circa singularia; versatur enim circa opera ad existentiam perducenda, proinde singularia. Atqui Logica etiam quoad partem inferiorem spectata, non versatur circa singularia. Ergo etc: Pr: min: Logica objecti sui productionem dirigens, non in singulari, sed in communi praecipit; ex: gr: ita esse efformandam definitionem, ita esse construendum syllogismum. Ergo etc.

Resp: distinguendo antecedens ultimi argumenti. Logica objecti sui productionem dirigens, non in singulari, sed in communi praecipit etc. et hoc efficit Logica quatenus est docens, concedo; quatenus est utens, nego: quare nego consequentiam. Igitur Logica ut docens, quia est norma omnium nostrae mentis operationum a se dirigendarum, intuetur universalia; ut vero utens, quia descendit in hunc, illumque actum, qui est singularis, et individuus, intuetur ea, quae individua, et singularia sunt: ideoque sub ratione docentis retinet naturam scientiae, et sub ratione utentis naturam retinet artis; sive, quod idem est, quoad superiorem sui partem est scientia, quoad inferiorem vero est ars.

Inst: Atqui Logica etiam quatenus utens, dici non potest ars. Ergo etc: Pr: sub: Facultas speculativa dici non potest ars. Atqui Logica, etiam quatenus utens, est facultas speculativa. Ergo etc. Pr: min: Facultas, quae circa speculationes versatur, est utique speculativa. Atqui Logica, quatenus utens, versatur circa speculationes. Ergo etc. Pr: min: Operationes mentis sunt speculationes. Atqui Logica, etiam quatenus utens, circa has versatur. Ergo etc.

Resp: neg: sub: cujus prob: nego min; cujus prob: nego min; cujus probationis distinguo maj: operationes nostrae mentis sunt speculationes, si referantur ad ea-

rum obiecta, concedo; si referantur ad regulas Logicae, quibus fiunt, nego. Quare nego consequentiam, et responsio patet ex distinctione.

Inst: Atqui operationes mentis etiam comparatae ad regulas Logicae sunt speculationes. Ergo etc. Pr: sub: Operationes mentis etiam comparatae ad regulas Logicae, sive quatenus per regulas Logicae diriguntur, speculantur veritates. Ergo etc.

Resp: neg: sub: cujus probationis nego consequentiam: quamvis enim operationes mentis speculentur veritates; tamen comparatae ad regulas Logicae dici nequeunt speculationes; siquidem sub hac ratione non considerantur praecise ut speculationes, sed considerantur ut opera artificiose ex praeceptis Logicae effecta.

Opp: 2. Ars debet versari circa objectum contingens, quod nimirum possit condi a nobis, et non condi ex arbitrio. Atqui Logica non versatur circa objectum contingens; nam ex dictis objectum Logicae est necessarium. Ergo Logica non est ars.

Resp: dist: maj: Ars debet versari circa objectum contingens quoad existentiam, concedo; quoad essentiam, nego: et distincta eodem modo minore, nego consequentiam; et responsio patet.

Opp: 3. Si Logica esset scientia simul, et ars, duplicem essentiam haberet. Atqui eadem facultas non potest habere duplicem essentiam. Ergo etc.

Resp: dist: sequelam maj: duplicem essentiam haberet sub diversis respectibus, concedo; sub eodem respectu, nego. Simili modo distinguo minorem: eadem facultas, quae non potest sub diversis respectibus considerari, non potest habere duplicem essentiam, concedo; secus, nego. Quare nego consequentiam; et responsio patet.

Opp: 4. Ars versatur circa opus sensibile. Atqui Logica non versatur circa opus sensibile. Ergo Logica non est ars.

Resp: dist: maj: Ars servilis concedo; ars liberalis, nego: et concessa minore, nego consequentiam; Logica enim est ars liberalis.

Opp: 5: Logica non versatur circa praxes, idest circa actiones morales, sed circa effectiones. Ergo non est scientia practica.

Resp; dist: ant: Logica non versatur circa praxes, si praxis nomen strictius sumatur, nempe pro sola actione

morali, concedo ; si praxis nomen sumatur latius, nempe pro qualibet operatione, nego. Quare nego consequentiam ; et responsio patet.

Oppones 6. Si Logica est scientia practica, eo quod efficiat definitiones, syllogismos etc, omnes scientiae etiam speculativae erunt practicae, quia efficiunt definitiones, syllogismos etc. Atqui absurdum consequens: ergo et antecedens.

Resp: dist: sequelam maj: Si scientiae etiam speculativae respicerent definitiones, syllogismos etc, tanquam propria objecta, concedo; secus nego: et concessa minore, nego consequentiam; et responsio patet ex distinctione.

DISPUTATIO III.

De Obiecto Logigae

Prolegomena.

Unaquaeque facultas circa aliquid versatur, idque illius objectum nuncupari solet. Objectum autem duplex distinguunt Scholae, alterum materiale, alterum formale. Materiale objectum dicunt materiam illam, circa quam tota potentia, et facultas versatur. Formale vero rationem illam, seu modum, quo objectum materiale ab ea disciplina, aut potentia consideratur, et a quo ea disciplina speciem desumit, et ab aliis distinguitur. Ita objectum materiale visus sunt res omnes adspectabiles, quia potentia visus circa res adspectabiles versatur; formale vero est modus, quo hujusmodi res attingit: hic autem modus exprimitur his vocabulis, *quatenus sunt coloratae*; a quo modo potentia visus speciem desumit, et ab aliis potentiis distinguitur. Eodem pacto in Scientiis objectum materiale sunt res, circa quas illae occupantur; formale vero est modus, quo circa objectum suum materiale occupantur. Ex utroque objecto, materiali scilicet, et formali fit objectum totum, seu *totale adaequatum*, *et attributionis*, cui scilicet attribuuntur ea omnia, quae in illa disciplina pertractantur. His explicatis, sit.

PROPOSITIO.

Obiectum totum, seu totale, adaequatum, et attributionis Logicae, sunt quatuor mentis operationes, quatenus ad verum sunt dirigendae.

Probatur. Objectum totum, seu totale alicujus disciplinae est illud, quod ex objecto materiali, et formali constat; quod ei disciplinae exaequatum est; quod eam distinguit ab omni alia; et ad quod referuntur omnia, quae in illa disciplina pertractantur. Atqui quatuor mentis operationes, prout dirigendae ad verum, sunt hujusmodi respectu Logicae. Ergo etc. Pr. min.: quoad singulas partes. Et primo quidem sunt objectum materiale Logicae: Logica enim tota quanta est agit de operationibus mentis; hinc quatuor in partes dividitur, pro numero quatuor operationum, et harum singulae de singulis operationibus agunt; prima scilicet de simplici perceptione, seu idea, secunda de judicio, tertia de ratiocinatione, quarta demum de methodo. Secundo eaedem mentis operationes, quatenus ad verum sunt dirigendae, atque adeo dirigibilitas harum operationum ad verum, constituit objectum formale Logicae; nam sub hac tantum ratione attinguntur a Logica, non vero quatenus sunt modi, aut actiones mentis: quo sensu a Metaphysica considerantur. Tertio adaequatae sunt ipsi Logicae, seu tam late patent, quam Logica, cum nihil praeter ipsas a Logica pertractetur. Quarto secernunt Logicam a quavis alia disciplina, cum nulla praeter Logicam de iis prout ad verum dirigendis agat. Quinto demum ad illas referuntur omnia, quae in Logica pertractantur: nam ideo inventa est Logica, ut operationes mentis ad verum dirigantur; atque huc omnia Logicae praecepta collimant. Ergo etc.

Argumenta, quae contra hanc thesim opponi solent, legantur apud Edmundum Purchotium Inst. Philosoph. tom. 5. Exerc. Ontol. Disputatione 1. quaest. 4.

FINIS ELEMENTORUM LOGICAE

ONTOLOGIAE ELEMENTA

ANTELOQUIUM.

Ontologia ad Metaphysicam, ut pars ad totum, pertinet. Metaphysica vero dicitur ea Philosophiae pars, quae res a materia sive a corporea substantia vel per mentis abstractionem, vel reipsa secretas contemplatur; definitur propterea: entis in genere, et spirituum scientia. Dicta est autem Metaphysica, vel quia μετὰ τὰ φυσικά post res physicas ipsi locus datus est ab Aristotelis interpretibus, cum illius libros tineis corrosos, temporumque injuria corruptos in ordinem digesserunt; vel quia sit μετὰ φυσικὴν, quippe res pertractat supra physicam conditionem corporum constitutas.

Omnis porro Metaphysica doctrina aptissime in tres partes distribuitur, quarum altera de ente, ejusque affectionibus agit: altera de natura mentis humanae, ejusque dotibus disserit: tertia tandem Dei existentiam, atque attributa rationis lumine perscrutatur. Prima dicitur Ontologia; secunda, et tertia Pneumatologia: tamen alii distinctius secundam Psychologiam, tertiam Theologiam naturalem appellant. Nos tamen, ceteris omissis, Ontologiam tantum heic persequemur.

Ontologia vero secundum vim graeci nominis est λόγος τοῦ ὄντος, sive sermo de Ente, et definiri potest: scientia de ente in genere, ejusque

proprietatibus. Dicitur etiam philosophia prima, quia prima principia, primasque rationes tradit, quae in ratiocinando usum habent. Hinc patet Ontologiae studium esse admodum utile, atque adeo philosopho necessarium; in ea enim agitur et de principiis, quibus innititur humana cognitio, et de iis, quae entibus omnibus sive absolute, sive sub data quadam conditione conveniunt.

ONTOLOGIAE ELEMENTA.

CAP. I.

De principiis Ontologiae.

Non pauci fuerunt olim Philosophi, qui, ut inquit Tullius, nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse dixerunt. Hi propterea Sceptici vocati sunt, quod res dumtaxat considerarent, nihil decernentes: Acataleptici, quod nihil comprehendi posse dixerunt: Ephectici, quippe judicium de omnibus cohibebant: Aporetici, quasi dicas haesitatores, ut qui de omnibus rebus dubitabant: Pyrrhonici a Pyrrhone eorum praeceptore: atque etiam Academici, eo quod in Academiam scepticismum transtulerit Arcesilaus; quamvis Academici hoc certo decernerent, videlicet se nihil scire, ut ait A. Gellius lib. 2. Noct: Attic: cap. 5.

Universa autem ipsorum argumenta, quibus veritatem demoliri aggressi sunt, ad duo capita facile revocari possunt: eo enim respiciunt, ut ostendant, primo nihil cognosci posse; secundo nullum statui posse veritatis criterium. Quod ad primum attinet, communi philosophorum suffragio jampridem causa ceciderunt Sceptici: constat enim inter omnes, qui sana mente utuntur, aliquas extare veritates solo rationis lumine certissimas; cujusmodi sunt propria existentia, et plurimae evidentissimae propositiones quarumlibet facultatum, quae axiomata vocantur. Hinc, quoad hanc partem, ne aures quidem illis praebebimus. Quod vero ad alterum spectat, quamvis philosophi omnes in eo conveniant, ut contra Scepticos decernant, dari veritatis criterium, tamen in eo statuendo inter se discrepant. Praestat itaque, ut quodnam sit veritatis criterium, in praesenti quaestione statuamus.

Articulus I.

De Criterio Veritatis.

Character ille, menti ad rerum veritatem detegendam praelucens, graeca voce criterium appellatur. Id autem ex veteribus Epicurus in sensibus statuit. Anaxagoras et Pythagoriei in sola mente. Plato in clara rerum perceptione; quem sequutus est Cartesius, cui instar axiomatis est propositio illa: quicquid clare, et distincte percipitur, tuto potest affirmari. Rem tamen clarius enuclearunt recentiores; hi enim generatim affirmant criterium veritatis in Evidentia statuendum esse. Evidentia autem pro diversa cognoscendae veritatis ratione triplex est; intellectus nimirum, seu rationis, sensus, et auctoritatis. Prima locum habet in rebus intelligibilibus, ut ajunt; secunda in rebus sensibilibus; tertia in rebus historicis. Sic ex. gr. duos angulos ad verticem oppositos esse aequales inter se, certus sum evidentia rationis: corpora existere, certus sum evidentia sensuum: Iulium Caesarem fuisse interfectum, certus sum evidentia auctoritatis.

Verum illud advertatur velim, evidentiam nimirum sensus, et auctoritatis ipsa rationis evidentia fulciri. Et primo quidem ideo vera esse dicimus, quae luculenter, et constantissime sensibus haurimus, quia evidenter percipimus fieri non posse, ut sensus nobis a Deo attributi, quo externas res cognoscamus, et nos, et ceteros homines semper decipiant. Secundo constanti hominum testimonio fidem adjungimus, ducti rationis evidentia; nobis enim evidenter constat, fieri non posse, ut homines aut locis, aut aetate inter se dissiti, quique diversis semper studiis abripiuntur, in id tacite conspirent, ut commentum aliquod obtrudant. Hinc patet, evidentiam tam sensus, quam auctoritatis ad rationis evidentiam revocari: quocirca nos sensuali, et testimoniali omissis, de intellectuali tantum evidentia, utpote praecipua, in praesenti quaestione disseremus. Porro Evidentia intellectualis, seu rationis, duplex est, vel simplicis intuitionis, vel demonstrationis. Illa habetur, cum idearum convenientia, aut repugnantia primo mentis intuitu deprehen-

ditur: haec autem, cum a certis principiis necessaria illatione deducitur. His praelibatis, sit.

PROPOSITIO.

Pro Veritatibus Intelligibilibus dijudicandis Optimum Criterium est Evidentia rationis.

Probatur. Illud veritatis criterium appellamus, quo verum a falso, certum a dubio secernimus. Atqui hoc in rebus intelligibilibus per evidentiam rationis assequimur. Ea igitur veritatis criterium in rebus intelligibilibus recte statuitur. Probatur minor. Vera a falsis, certa a dubiis id sane discriminat, quod quae vera sunt, et certa ita menti objicit, ut ea vera; et certa non esse mens sibi persuadere nequeat, ideoque ad assensum impellatur. Atqui evidentia rationis character is est, ut mentem ad assensum impellat; etenim, inquit Tullius Academicarum quaest: lib. IV. cap. 12, ut necesse est lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere: nam quomodo non potest animal ullum non appetere id, quod ad naturam accommodatum apparet, sic mens non potest objectam rem perspicuam non approbare. Cum igitur id praestet evidentia, ut mentem ad assensum impellat, jure illa tanquam veritatis criterio utemur.

Confirmatur. Evidentia rationis, ut in se quisque experitur, vel invitos ad assensum impellit. Nos igitur aut ad veritatem, aut ad falsitatem amplectendam cogit. Si falsa nobis persuadet, Deus tanquam erroris auctor traducendus est: quippe qui ejusmodi nobis naturam indidit, ut evidenter perceptis assentiamur. Atqui id in Divinam bonitatem cadere posse nemo dixerit. Ergo non falsa, sed vera sunt, quae evidenter percipimus. Ergo etc.

Refutantur argumenta.

Objicies 1. Si evidentia esset criterium veritatis, ea numquam ad errorem duceret. Atqui ea duce plerique errant. Ergo.

Resp: dis: min: Errant ducti evidentia falsa, sive putata, concedo min: ducti evidentia vera, nego min. Qui errores tuentur, ab evidentia duci sibi videntur, licet nulla adsit evidentia. Distinguitur autem vera a

falsa evidentia: haec enim ita mentem afficit, ut ipsa assensum cohibere possit; illa vero assensum omnino extorquet. Illius igitur character est invincibilitas, hoc est resistendi impotentia, quae mentis praejudicia, et cupiditates antecedat. Quamobrem si in id sedulo incubuerimus, ut rebus perceptis nonnisi hac invincibili evidentia ducti assensum praebeamus, nunquam fieri poterit, ut falsa evidentiae imagine decipiamur.

Inst: Atqui haec vera, et invincibilis evidentia in nobis esse non potest. Ergo. Prob: sub: haec vera, et invincibilis evidentia in nobis esse non potest, nisi deprehendamus convenientiam, vel repugnantiam subjecti cum attributo. Atqui id assequi non possumus. Ergo. Prob: min: Attributum subjecto convenire, vel repugnare deprehendimus, cum hujus essentia comperta est. Atqui incompertae sunt rerum omnium essentiae. Ergo.

Resp: Dist: min: Incompertae sunt rerum essentiae reales, seu physicae, concedo; nominales, nego. Quare nego consequentiam, et respondeo, multiplices distingui essentias; alia enim dicitur physica, seu realis; alia logica, alia metaphysica, quae duae etiam nominales dicuntur. Physica est id, per quod res intrinsecus talis, ac est, constituitur, non alia; et complectitur proprietates omnes, quae certam quamdam rem constituunt, ac determinant. Logica est id, per quod res a nobis mente concipitur talis, et non alia; complectitur igitur non omnia, sed ea tantum attributa, quae a nobis in re cognoscuntur. Metaphysica tandem est id, quod primum in re concipitur, attributum scilicet illud, quod in re primum est, et a quo reliqua deinceps, quae illius sunt propria, derivantur. Ex hac porro triplici essentiae notione colligendum est, nos, cum incompertas esse rerum essentias dicimus, reales, sive physicas, non vero nominales essentias intelligere. Quamvis enim rerum omnes omnino proprietates perspectas non habeamus; pleraque tamen earum attributa satis assequimur. Ut autem attributum subjecto convenire, aut repugnare deprehendamus, satis est, ut nobis compertae sint nominales rerum essentiae, nec requiritur, ut etiam physicas cognoscamus. Quoties enim nonnullas rei proprietates perspectas habeamus, profecto nosse poterimus, num attributum aliquod ipsi rei conveniat, nec ne. Nam si cum notis rei proprietatibus componi posse, aut repugnare deprehendimus;

inde colligimus rei ipsi illud convenire, aut repugnare. Sic quoniam in explorato nobis est, mentem cogitare, et materiam extensam esse, ex eo colligimus materiam cogitare non posse, quod cogitationem extensioni repugnare aperte percipimus. Valet enim axioma: idem subjectum proprietates secum pugnantes complecti nequit. Quae cum ita sint, cumque nos, cognitis nominalibus rerum essentiis, quae rebus conveniant, quaeque repugnent, deprehendere possimus, dicendum est, falsum omnino esse; nullam in nobis veram dari posse evidentiam.

Inst: Atqui ex eo quod nominales rerum essentias perspectas habeamus, non sequitur nos posse evidenter, et infallibiliter deprehendere attributum subjecto convenire, aut repugnare. Ergo. Prob: sub: Si cognitis nominalibus rerum essentiis, evidenter cognosci posset, attributum subjecto convenire, aut repugnare, nulla esset inter Philosophos de re aliqua dissensio. Atqui fere omnes Philosophi inter se dissentiunt. Ergo.

Resp: dist: min: fere omnes Philosophi inter se dissentiunt in iis, quae clare, et evidenter non percipiuntur, conc: in iis, quae clare, et evidenter percipiuntur, nego; quare nego conseq: et respondeo, Philosophorum controversias non versari circa ea, quae clare, et evidenter percipiuntur; nulla enim fuit unquam inter illos dissensio de veritate vel axiomatum, vel earum propositionum, quae ex certis, et indubitatis principiis legitima illatione deducuntur. Sed in iis tantum Philosophi inter se discrepant, quae clare, et evidenter non percipiuntur; et praesertim cum latentes rerum causas inquirunt. Ex quo profecto nihil aliud eruitur, nisi multa esse, quae latent adhuc, quaeque a nobis clare, et evidenter percipi nequeunt, quod nos ultro fatemur. Verum quod nihil certi percipi possit, quodque nos in iis, quae clare, et evidenter percipimus, decipi possimus, hoc scilicet est, quod nunquam poterit evinci.

Inst: Deus potest omnia. Ergo praestare poterit, ut fallar etiam in iis, quae clare, et evidenter percipio.

Resp: neg: conseq: Deus enim, quamvis omnia possit, nunquam tamen poterit praestare, ut fallamur in iis, quae clare, et evidenter percipimus. Et primo quidem id repugnat suae Bonitati: si enim nos rebus evidenter perceptis assentiendo deciperemur, Deus errorum no-

strorum auctor dicendus esset, quippe hujusmodi nobis naturam indidit, ut rebus evidenter perceptis assentiamur. Secundo etiam Omnipotentiae Illius repugnat; si enim Deus in iis, quae evidenter percipimus, posset nos fallere, dicendum esset, Deum posse falsum operari. Atqui falsum nequit esse objectum Divinae Omnipotentiae: falsum enim idem est, ac quod neque est, neque essendi rationem habere potest, proindeque est nihil, cum ei nulla respondeat notio directa; nihil antem nequit esse objectum Divinae Omnipotentiae: voluntas enim Divina semper fertur ad aliquid positivum. Ergo Deus falsum operari; ac proinde in rebus evidenter perceptis nos fallere nequit.

Inst: Atqui ex eo, quod nobis Deus huiusmodi naturam indidit, ut evidenter perceptis assentiamur, non sequitur errores nostros Deo tribuendos esse, si fallamur in iis, quae evidenter percipimus: Ergo. Prob: sub: Deus tribuit nobis sensus, ut de rebus sensibilibus judicemus. Atqui ex eo, quod plerique sensuum evidentia ducti fallantur, credendo colores, ceterasque sensibiles qualitates rebus ipsis inhaerere, non sequitur, fallaciam Deo esse adscribendam. Ergo a pari etc.

Resp: nego cons: Instituta enim comparatio non recte procedit; quandoquidem Deus instruxit homines non sensibus solum, sed etiam ratione, a qua tanquam a perfectissimo omnium humanarum cognitionum criterio sensus ipsi regendi sunt, ac moderandi. Quamvis autem sensus suadere videantur, sensibiles qualitates corporibus inhaerere, ratio tamen evincit, eas esse mentis nostrae affectiones. Cum enim deprehendam ex: gr: saccharum, quod a me dulce percipitur, alios fastidire; eandem aquam mihi frigidam, aliis vero calidam videri; cumque haec, aliaque accurate perpendam; mihi persuadere non possum, hujusmodi qualitates non esse mentis meae affectiones. Hinc si sensuum testimonio perverse abutantur homines, et rationem non consulentes in rebus sensibilibus dijudicandis decipiantur; id ipsis vitio vertendum est, non Deo. Verum non ita se res habet in iis, quae clare, et evidenter percipimus; quo enim attentius rationem consulimus, eo difficilius nobis persuadere possumus, vera non esse, quae clare, et evidenter percipiuntur. Iure igitur fallacia Deo adscribenda esset, si in iis, quae clare, et evidenter percipimus, decipi possemus; nullus enim tunc nobis suppeteret modus, quo errorem declinaremus.

Obj: 2. Vel assignari potest criterium, quo vera a falsa evidentia dignoscatur, vel non. Si primum, non erit ergo evidentia primum veritatis criterium, cum alterius probatione indigeat; si secundum, erit ergo evidentia ex seipsa incerta, et dubia.

Resp: Nullum dari criterium, quo veram a falsa evidentia dignoscamus; alias daretur criterium ipsa evidentia evidentius, quod est absurdum. Distinguitur ergo vera evidentia a falsa per solam mentis attentionem, et illius character est invincibilitas.

Obj: 3. Evidentia rationis esse criterium veritatis probatur per circulum, ideoque non recte. Nam evidentiae veritas probatur per Dei infallibilitatem, et existentia Dei infallibilis per evidentiam rationis ostenditur. Ergo etc.

Resp: Neg: ant: cujus probationis dist: ant: et in hisce demonstrationibus utimur circulo, nego; utimur regressu demonstrativo, concedo. Quare negata cons: resp: circulum tunc admitti, cum, datis duabus propositionibus, prima per secundam, et secunda per primam praecise demonstratur; quod si, datis duabus propositionibus, et prima ex aliis principiis jam demonstrata, per illam progredimur ad demonstrandam secundam, qua demonstrata, rursus per hanc secundam regredimur ad confirmandam primam, tunc non admittitur circulus vitiosus, sed adhibetur regressus demonstrativus, quae species argumentationis optima est. Porro cum nos evidentiae veritatem per Dei infallibilitatem, et existentiam Dei infallibilis per evidentiam demonstramus, non utimur circulo, sed regressu demonstrativo. Et quidem principii loco statuendum est, nos in hac quaestione non congredi cum Scepticis, qui de omnibus dubitabant, et nihil a nobis sciri posse affirmabant; inutiliter enim ad hos revincendos tempus absumeremus. Igitur pro certo habemus extare aliquas veritates, easque a nobis certe cognosci. Quae cum ita sint, cumque dubitari non possit, quin veritates aliquas certo cognoscamus, quaeritur a Metaphysicis, quodnam sit harum veritatum criterium, sive tessera, seu insigne, aut nota, quam veritas praesefert, et per quam a falsitate distinguitur, ut ope illius alias veritates detegere possimus. Cui quaestioni respondemus, non aliam esse veritatis tesseram, nisi evidentiam; de veritatibus enim, quas certo novimus, nonnisi

per evidentiam certi sumus, uti constat ex dictis. Igitur cum demonstraverimus ex hisce principiis evidentiam esse veritatis criterium, ipsa evidentia duce progredimur ad demonstrandam Dei infallibilis exsistentiam, qua demonstrata per evidentiam, rursus regredimur ad confirmandam evidentiae veritatem, quam esse criterium veritatis ex aliis principiis jam demonstravimus. Itaque a nobis non demonstratur idem praecise per idem, ideoque circulus nequaquam admittitur.

Scholium I.

Diximus superius, sensuum evidentiam esse veritatis criterium pro rebus sensibilibus dijudicandis. Ne tamen errandi occasionem nobis praebeant sensus, plura advertenda sunt. 1.° ut rationis ductu nequaquam destituantur. 2.° ut sint integri. 3.° ut eorum imbecillitas instrumentis adjuvetur. 4.° ut intervallum inter objecta, et sensus ipsorum potentiae respondeat. 5.° ut aut plures sensus, si fieri potest, adhibeantur, aut iterum, ac tertio eidem sensui res subjiciatur, 6.° in judicio eorum, quae sensibus percipiuntur, celeritas omnino vitetur.

Scholium II.

Pro rebus historicis dijudicandis diximus superius, criterium veritatis esse auctoritatis evidentiam. Historici tamen, quorum testimonio fides adjungitur, his dotibus ornentur oportet, nimirum et ut ipsi decepti non sint, et ut alios decipere noluerint. Et quod historicus deceptus non fuerit, id certo constare nobis poterit, 1.° si ea testetur, quae suis subjecta sensibus fuerunt. 2.° si ea narret, quae a suis popularibus visa, vel audita fuerunt. 3.° si quae refert, sui vestigia, et monumenta posteris animadvertenda reliquerint. 4.° si quae tradit, in publico hominum conspectu gesta sint. 5.° si ex publicis annalibus exscripserit ea, quae parrat. 6.° si nullo partium studio ductus ea perhibeat, quae illius animum afficere non poterant.

Quod autem decipere noluerit, constat 1.° cum ea narrat, in quibus si mentitus esset, publicas querelas, et contumelias in se excepisset. 2.° cum nec sua, nec suorum interest mentiri. 3.° cum narrat, quae sui, suorumque

popularium decus offendunt. 4.° cum non dissentit ab aliis historicis. 5.° cum ea, quae scribit, non abhorrent a suae aetatis, et patriae moribus. 6. cum res loco, tempori, quo evenisse narratur, apte respondet.

Articulus I.

De primis cognitionis humanae principiis.

Humana cognitio aut versatur circa veritates per se notas, et dicitur intuitiva; aut versatur circa veritates illas, quae per ratiocinium innotescunt, et dicitur demonstrativa. Tamen fere omnis cognitio recte dici potest demonstrativa, cum pauca admodum sint, quae intuitive cognoscimus, ceteraque omnia ratiocinio investigemus.

Fit autem ratiocinium, seu demonstratio, ut alias dictum est, cum ex cognitis veritatibus eliciuntur aliae, quae in illis continentur. Illae, unde concluditur, dicuntur principia: quae vero concluduntur, conclusiones, et consequentia. Principia autem non ejusdem naturae sunt; alia enim sunt universaliora, alia minus universalia; alia nobis innotuerunt per simplicem intuitionem, alia vero per demonstrationem: ex propositionibus enim jam demonstratis etiam concludi potest, et tunc principii rationem habent; cujus rei Geometria luculentissima suppeditat exempla.

Quae cum ita sint, quaeritur a Metaphysicis, utrum inter haec principia sit aliquod primum, atque ita universale, ut veritas illius a nullo alio pendeat, imo ceterorum veritas pendeat ab ipso; quod propterea primum cognitionis principium appellant. In hoc tamen principio statuendo, mirum quot motus inter illos excitantur. Recentiores enim Cartesium insultant, quod inter omnia axiomata primum locum tribuerit huic Enthymemati: cogito, ergo sum; et Aristotelis in hac re vestigiis insistentes contendunt, primum cognitionis principium statuendum esse illud axioma: impossibile est, idem simul esse et non esse, quod principium contradictionis appellant: contradicere enim sibimetipsi dicuntur, qui idem simul esse, et non esse pronunciant. Contra Cartesiani fere omnes primum cognitionis principium esse affirmant hanc propositionem: Quicquid in idea clara, et distincta rei alicujus comprehenditur, id de ea re certissime potest affirmari.

Haec sententiarum varietas orta videtur a vocabuli ambiguitate; si enim paulo luculentius explicuissent, quid primi principii nomine intelligi debeat, nulla fuisset inter illos controversia. Et re quidem vera licet pro suis quisque partibus tuendis acriter dimicet, et ab aliis dissentire videatur; tamen si accurate sententias singulorum inspiciamus, reperiemus profecto, illos non re, sed verbis tantum inter se discrepare. Quare ut nullum controversiis locum relinquamus, quaestionis statum definiamus, oportet.

Nos igitur per primum cognitionis principium nihil aliud intelligi volumus, nisi veritatem illam, seu propositionem evidenter veram, quae in demonstratione primum locum obtinet, et a qua tota pendet demonstratio. Hinc patet, unum omnino esse non posse hujusmodi principium; quandoquidem non una, sed multiplex est demonstratio. Et primo quidem ea vel directa est, vel indirecta. Demonstratio indirecta, quae dicitur etiam reductio ad absurdum, et impossibile, fit cum posita tanquam vera propositione, quae contradicit propositioni demonstrandae, colligitur id quod repugnat propositioni verae, vel notioni subjecti. Demonstratio vero directa fit, cum ex positis principiis, recto ordine ea consequentia deducimus, quae in illis continentur. Haec rursus vel fit a priori, vel a posteriori. Fit a posteriori, cum ex effectis, signis, proprietatibus res esse demonstratur. Fit autem a priori, cum ratio affertur, cur aliquid sit a causa, vel rei ipsius natura. Omnibus igitur hisce diversis demonstrationum speciebus sua praestabiliantur principia, necesse est. Quare sit.

PROPOSITIO I.

Principium Cartesianorum: Quicquid in idea clara, et distincta rei alicuius comprehenditur, id de ea re certissime potest affirmari; primum cognitionis principium dici potest in demonstrationibus directis, quae fiunt a priori.

Prob: 1.° Demonstratio directa a priori fit, cum ratio affertur, cur aliquid sit a causa, vel rei ipsius natura, sive, quod idem est, cum effectus per causam, et rei proprietas per ejus naturam ostenditur. Atqui id efficitur

ope principii Cartesianorum, nimirum cum effectus in causa, et rei proprietas in ejus natura comprehendi clare, et distincte percipitur. Ergo.

Prob: 2.º Primum cognitionis principium in aliquo demonstrationis genere censeri debet illud axioma, quod est evidentissimum, universalissimum, in eo genere indemonstrabile, et cui tamquam fundamento tota illius generis demonstratio innitatur. Atqui hujusmodi est principium Cartesianorum in demonstrationibus directis, quae fiunt a priori. Ergo. Prob: min: quoad singulas partes; et primo quidem est axioma evidentissimum, immediata siquidem fulget evidentia, adeo ut, si Scepticos excipias, qui veritatis criterium evidentiam esse negant, neminem repereris, qui serio illud negare ausus fuerit. Secundo est universalissimum, constat enim ex terminis maxime abstractis. Tertio per nullum aliud demonstrari potest directe a priori; in hoc enim demonstrationis genere nullum aliud constitui potest principium eo prius, et universalius, in quo tanquam in causa illud contineatur. Quarto demum huic principio tamquam fundamento innititur tota demonstratio directa, quae fit a priori; negato enim hoc principio, corrueret omnino illa demonstratio, iterumque in philosophiam scepticismus invehe retur. Ergo.

Praecipua argumenta, quibus hanc conclusionem aggredi solent adversarii, facile revocari possunt ad ea, quae praecedenti conclusione refutavimus. Quare sit.

PROPOSITIO II.

Axioma illud: Nihil est sine ratione sufficiente. (quod principium rationis sufficientis appellant); dici potest primum cognitionis principium in demonstrationibus directis, quae fiunt a posteriori.

Prob: I.º Demonstratio directa a posteriori fit, cum ex effectis, signis, proprietatibus res esse demonstratur. Atqui id efficitur ope principii rationis sufficientis; ideo enim ex effectis, signis, proprietatibus rem esse colligimus, quod nobis persuasum est, ex nihilo nihil esse posse; seu nihil esse sine ratione sufficiente. Ergo principium rationis sufficientis dici potest etc.

Prob: 2.º Primum cognitionis principium in aliquo de-

monstrationis genere censeri debet illud axioma, quod est evidentissimum, universalissimum, in eo genere indemonstrabile, et cui tanquam fundamento tota illius generis demonstratio innitatur. Atqui hujusmodi est principium rationis sufficientis in demonstrationibus directis, quae fiunt a posteriori. Ergo. Prob: min: quoad singulas partes; et primo quidem est evidentissimum, adeo ut omnes illud reipsa ultro concedant, cum nihil unquam admittant sine ratione sufficiente; quod animadvertere licet in ipsis etiam pueris, statim ac in iis sese exserit aliquis rationis usus: hi nimirum in omni casu proni sunt ad interrogandum, cur hoc sit, vel non sit. Et certe naturae mentis nostrae repugnare videtur, aliquid a nobis poni, quin ponatur etiam aliquid, cur potius sit, quam non sit; cum nihil esse non possit, unde intelligatur, cur aliquid sit; alioquin ipsum nihil esse poneretur, quod est absurdum. Secundo est universalissimum, omnibus enim, quae sunt, fiunt, aut fieri possunt in mundo, accommodari potest; quandoquidem de omnibus quaeri potest ratio, cur sint, fiant, vel fieri possint. Tertio per nullum aliud demonstrari potest directe a posteriori; in hoc enim demonstrationis genere nullum aliud constitui potest principium eo prius, et universalius, uti patet. Quarto demum huic principio tamquam fundamento innititur tota demonstratio directa, quae fit a posteriori; negato enim hoc principio, corrueret omnino illa demonstratio; tunc enim concedendum esset, aliquid esse posse sine ratione sufficiente. Ergo ex effectis, signis, proprietatibus nihil amplius colligi posset; proindeque negato hoc principio, corrueret demonstratio directa, quae fit a posteriori. Ergo etc.

Contra veritatem hujus principii sic arguunt adversarii. Si nihil esset sine ratione sufficiente, in Mundo res materiales necessario existerent. Atqui falsum consequens. Ergo et antecedens. Resp. neg. sequelam majoris. Etenim res illa tantummodo existit necessario, cujus ratio sufficiens, cur existat, in ipsius rei essentia continetur, ut ostendemus deinceps. Ratio autem sufficiens, cur res materiales existant, non continetur in ipsa rerum essentia, sed tantum in voluntate Divina, beneficio cujus existunt; ac proinde non existunt necessario. Haec pauca dixisse satis sit; cetera enim argumenta, quae ad impugnandum hoc principium ex libertate mentis

humanae desumi solent, opportuniori loco refutabimus. Sit itaque

PROPOSITIO III.

Principium contradictionis: impossibile est, idem simul esse, et non esse; primum cognitionis principium dici potest in demonstrationibus indirectis.

Prob. 1.º Demonstratio indirecta dicitur, cum posita tamquam vera propositione, quae contradicit propositioni demonstrandae, colligitur aliquid absurdum, sive impossibile, ad quod redigatur adversarius. Atqui tota impossibilitas cujuscumque impossibilis tandem reducitur ad hoc impossibile, nimirum idem simul esse, et non esse. Ergo tota demonstratio indirecta pendet ab hoc principio; proindeque principium contradictionis in demonstrationibus indirectis dici potest primum cognitionis principium.

Prob. 2.o Primum cognitionis principium in aliquo demonstrationis genere censeri debet illud axioma, quod est evidentissimum, universalissimum, in eo genere indemonstrabile, et cui tanquam fundamento tota illius generis demonstratio innitatur. Atqui hujusmodi est principium contradictionis in demonstrationibus indirectis. Ergo. Prob: min: quoad singulas partes; et primo quidem est axioma evidentissimum ex solis terminis manifestum: cum enim ea sit mentis nostrae natura, ut in illius potestate non sit judicare, aliquid posse simul esse, et non esse, statim ac principium illud intelligitur, ab omnibus sine probatione tanquam certissimum admittitur. Secundo est etiam universalissimum ex notionibus maxime abstractis formatum, quod omnibus convenire potest, quae sunt, vel esse possunt. Tertio per nullum aliud demonstrari potest indirecte; in hoc enim demonstrationis genere nullum aliud constitui potest principium eo prius, atque universalius, ad quod illud reduci possit. Quarto huic principio tamquam fundamento innititur tota demonstratio indirecta; negato enim hoc principio, corrueret omnino illa demonstratio; tunc enim concedendum esset, idem posse simul esse, et non esse, nimirum possibile esse, quod manifestam contradictionem involvit. Ergo quodcumque absurdum, quodcumque impossibile, neque absurdum esset, neque impossibile, frustraque nos ad-

versarium propositionem aliquam manifestam obstinate negantem ad absurdum redigeremus. Ergo.

Refutantur Argumenta.

Obj: 1.o Illud dici non potest primum cognitionis principium, quod per aliud demonstratur. Atqui principium contradictionis demonstratur per principium Cartesianorum: quicquid etc. Ergo.

Resp: dist: min: demonstratur directe, transeat minor; indirecte, nego min: et conseq: Quamvis igitur concederetur, principium contradictionis directe demonstrari per illud Cartesianorum; non tamen inde sequeretur, principium contradictionis non esse primum cognitionis principium in demonstrationibus indirectis. Et quidem ex hypothesi, quod principium contradictionis directe demonstraretur per principium Cartesianorum, nihil aliud sequeretur, nisi principium Cartesianorum esse primum cognitionis principium in demonstrationibus directis; quod nos non negamus. Sed in demonstrationibus indirectis, quae fiunt per reductionem ad absurdum, nulli usui est principium Cartesianorum; et principium contradictionis primum locum obtinet; nam quaecumque absurda, quaecumque impossibilia tandem reducuntur ad hoc impossibile, nempe idem simul esse, et non esse. Ergo principium contradictionis, licet in demonstrationibus directis non sit primum cognitionis principium; nihilominus hujusmodi est in demonstrationibus indirectis. Dixi autem, transeat, quia improprie dicitur principium contradictionis demonstrari per principium Cartesianorum etiam directe; ambo enim sunt axiomata, de quorum natura est, ut demonstratione non egeant. Et quamvis plerumque fiat, ut unum axioma majorem claritatem ab alio accipiat; tamen dici nequit unum per aliud demonstrari: illa enim non est demonstratio proprie dicta, sed potius est confirmatio veritatis illius, quae per se fulget in axiomate; quae confirmatio pro diversis arguentis circumstantiis mutua esse solet inter illa axiomata.

Inst: Atqui principium contradictionis vere, ac proprie demonstratur per principium Cartesianorum. Ergo. Prob: sub: Illud vere, ac proprie demonstratur per principium Cartesianorum, quod ideo verum esse affirmatur, quia clare, et distincte percipitur. Atqui principium con-

tradictionis ideo verum esse affirmatur, quia clare, et distincte percipitur. Ergo.

Resp: dist: maj: Illud etc. si clare, et distincte percipiatur demonstrative, concedo; intuitive, nego: et distincta eodem pacto min: nego cons: et resp: duplici modo aliquid clare, et distincte percipi posse, demonstrative nimirum, et intuitive. Illud clare, et distincte percipitur demonstrative, quod cum per se notum non sit, ope alterius nobis innotescit; et hoc vere, ac proprie demonstrari dicitur. Illud vero clare, et distincte percipitur intuitive, quod aliena non indiget evidentia, ut clare et distincte percipiatur, sed per se notum est; et hoc dici non potest demonstrari, quemadmodum patet ex iis, quae de ratiocinio, seu demonstratione disseruimus. Porro principium contradictionis clare, et distincte percipitur intuitive, propria enim fulget evidentia; proindeque licet ideo verum esse adfirmetur, quia clare, et distincte percipitur, tamen haud recte diceretur demonstrari per principium Cartesianorum. Ceterum quamvis concederemus, principium contradictionis demonstrari per principium Cartesianorum, nihilominus nihil inde evinceretur contra nostram conclusionem. Nam quemadmodum in praecedenti responsione dictum est, demonstratio illa esset directa, in quo quidem demonstrationis genere nos non negamus, primum cognitionis principium esse principium Cartesianorum. Sed praesens quaestio est de demonstrationibus indirectis, in quibus primum cognitionis principium esse non potest, nisi principium contradictionis.

Obj: 2.° Illud primum cognitionis principium dici nequit, per quod nulla cognitio comparari potest. Atqui per principium contradictionis nulla cognitio comparari potest. Ergo.

Resp: dist: min: per principium contradictionis nulla cognitio comparari potest directe, concedo; indirecte, nego: quare nego conseq: et responsio patet ex distinctione. Cetera, quae contra hanc conclusionem objici solent, legi possunt apud Franciscum Jacquier parte I. Metaph: cap. I.

Corollaria.

Ex principio contradictionis tamquam ex fonte derivantur haec alia vulgatissima axiomata: Quodlibet est,

vel non est: de eodem secundum idem non possunt verificari simul affirmatio, et negatio: idem subjectum proprietates secum pugnantes complecti nequit.

Scholia.

I. Criterium veritatis, et primum cognitionis principium valde inter se differunt. Nam criterium veritatis, quod nos in evidentia statuimus, nihil aliud est, nisi id, per quod mens in rerum investigatione verum a falso discernit; estque veluti quoddam lumen, quo mens indiget, ut rerum veritates cognoscat, sive illa cognitio sit intuitiva, sive sit demonstrativa. Primum vero cognitionis principium est axioma illud, quod primum locum obtinet in demonstratione, et ex quo tota pendet demonstratio. Id si advertatur, objectiones omnes facile refutari possunt.

II. Ex dictis liquet, quid primi principii nomine intelligendum sit: verum duo praeterea advertantur, velim. Primum est, quod nos in hujusmodi principiis statuendis non verba, sed verborum sensum consideramus. Hinc nihil moramur illorum argumenta, qui ut nobis fucum faciant, nostra principia reducunt ad alia verbis quidem diversa, re tamen eadem; ut ex. gr: cum contendunt principium rationis sufficientis pendere ab hoc alio: ex nihilo nihil fit; hoc enim licet verbis diversum ab illo sit, sensu tamen est idem. Secundum est, quod si primi principii nomine intelligatur primum illud, quod menti occurrit, primum cognitionis principium recte dici potest illud Cartesianum: cogito, ergo sum; prima enim res, quae menti occurrit in rerum investigatione, est propria existentia.

III. Quae a nobis cognoscuntur, sunt vel singularia, vel universalia; verum singularia nobis prius innotescunt. Nam omnis nostra cognitio e sensu tum intimo, tum extimo proficiscitur, ut suo loco ostendetur. Sensui autem subjiciuntur, quae existunt, nimirum singularia; nam universalia non existunt, ut alias dictum est. Ergo singularia prius cognoscuntur.

IV. Per proprietates communes res prius cognoscuntur. Proprietates enim communes in re quapiam veluti magis extant, quam peculiares, eaeque primum sensus afficiunt. Prius namque rem esse, ad hoc, vel illud genus

pertinere, in hac, vel illa specie comprehendi, quam certam quamdam rem esse certis quibusdam proprietatibus a ceteris distinctam, cognoscimus. Hinc patet, primas rerum cognitiones obscuras esse.

CAPUT. II.

De Notione Entis, et non-Entis.

Ut clara entis, et non-entis notio habeatur, prius explicandum est, quid sit possibile, quid impossibile, nec non quid sit existentia.

I. Possibile generatim dicitur id omne, quod contradictione caret, seu quod nullam involvit repugnantiam, idest in cujus ideam non ingrediuntur duo, aut plura, quorum unum alterum tollat; ex. gr: mons aureus est possibile quid: non enim idea montis contradicit ideae aurei, nec conceptus aurei tollit conceptum montis.

Apud Theologos vox possibilis angustiori significatione sumitur pro eo, quod potest quidem existere, sed non actu existit, nec unquam existet. At in Ontologia latiori sensu significat omne id, quod nullam habet repugnantiam ad existendum, sive existat, sive non existat.

Impossibile vocatur id, quod involvit contradictionem, seu quod repugnantiam continet. Ex gr: circulus, et quadratum sunt ejusmodi, ut idea unius ideam alterius excludat. Ergo circulus quadratus est quid impossibile.

Impossibilium autem duo sunt genera. Si quid est ejusmodi, ut in se, et natura sua contradictionem involvat, dicitur absolute, seu metaphysice impossibile. Si quid vero fieri non potest sub quibusdam tantum conditionibus, et circumstantiis, id vocatur hypothetice impossibile. Ex. gr: circulum esse quadratum est absolute impossibile, cum quadratum esse naturae circuli prorsus repugnet: hypothetice vero impossibile est, ut Sole splendente, aer sit tenebricosus; non enim in se, et natura sua involvit contradictionem, acrem esse tenebricosum, sed tantum in hypothesi, quod Sol radiis suis illum illustret.

Hypothetice autem impossibile vel est physice, vel moraliter tale. Physice impossibile dicitur id, quod quamvis in se possibile sit, tamen physicis naturae legibus repugnat: ita physice impossibile est, ut lapis, remoto impedimento, ab alto non decidat. Moraliter

impossibile dicitur illud, quod quidem in se non involvit contradictionem, infert tamen repugnantiam in hoc, vel illo subjecto ob intercedentes subjecti illius perfectiones morales. Ita ex. gr: ut quis mentiatur, in se non est impossibile; at Deo est impossibile, quia repugnat perfectionibus Dei moralibus, infinitae nimirum illius sapientiae, et bonitati. Vulgo impossibile moraliter dicitur, quod est difficile: sic impossibile moraliter est, hominem vitiis omnibus deditum sancte moriturum.

Quod de impossibili dictum est, idem proportione servata dicas de possibili: nimirum aliquid possibile est vel absolute, seu metaphysice, vel physice, vel moraliter. Praeterea quod absolute, seu metaphysice possibile est, dici etiam solet intrinsece possibile, ut distinguatur ab eo, quod extrinsece etiam possibile est. Quod enim hujusmodi est, ut in intrinseca sua natura non habeat repugnantiam, id dicimus intrinsece possibile. Quod vero simul est hujusmodi, ut non modo in intrinseca sua natura nullam involvat contradictionem, sed quoque rebus externis, causae scilicet efficientis viribus, tempori, loco non repugnet, id dicimus extrinsece possibile. E: gr: liquefactio cerae est intrinsece possibilis, quia cera in sua intrinseca natura nihil habet quod impediat, quominus liquefieri possit. Quia praeterea non repugnat viribus causae externae efficientis, ut cera liquefiat, sed potius ex calore ignis intelligi potest, quare liquefieri possit, ideo liquefactio cerae extrinsece quoque possibilis est. Hinc orta est distinctio inter possibilitatem rei intrinsecam, et extrinsecam. Idem dicas de impossibilitate.

Hinc data occasione, non abs re erit attingere quaestionem illam acriter agitatam inter Metaphysicos, utrum scilicet possibilitas rerum pendeat a voluntate Divina; adeo ut res sit possibilis, quia Deus voluit illam esse possibilem. Nemini dubium esse potest, quin extrinseca rerum possibilitas a Dei voluntate dependeat; cum enim solus Deus existentiam rebus impertiri possit, manifestum est, nihil esse extrinsece possibile, nisi quod Deus vult ad existentiam perducere. Tota igitur quaestio est de possibilitate intrinseca. Cartesiani nonnulli contendunt, intrinsecam rerum possibilitatem a Dei voluntate pendere, adeo ut nihil sit intrinsece possibile, nisi quicquid voluit Deus esse possibile, ac proinde nihil tam impossibile

excogitari posse a nobis, quod non evadet possibile, si Deus voluerit: sic Deo volente, evadet possibile, ut totum non sit majus sua parte. Tamen ratio contrarium suadet, nimirum intrinsecam rerum possibilitatem non pendere a voluntate Divina. Et quidem si possibilitas rerum intrinseca penderet a voluntate Divina, rerum possibilium ideae potuissent esse in mente Divina ideae rerum impossibilium: ergo essent mutabiles ideae, quae sunt in mente Divina, ac proinde non essent necessariae; ergo non essent essentiales Deo, ideoque Deus posset concipi sine ideis rerum possibilium. Sed si Deus concipi possit sine ideis rerum possibilium, possibile est, ut Deus sit aliquando sine cognitione rerum possibilium; quod manifeste repugnat, cum cognitio possibilium sit Deo absolute necessaria, quippe cui essentiale est, comprehensiva cognitione noscere semetipsum, proindeque suam omnipotentiam, quae comprehendi non potest, nisi cognoscantur omnia possibilia, ad quae se se extendit. Praeterea si possibilitas rerum intrinseca penderet a voluntate Divina, sequeretur, Deum posse facere impossibilia, quemadmodum ultro concedunt adversarii. Deus autem impossibilia facere non potest, non quidem ex defectu potentiae, sed ex defectu rerum ipsarum, quae sunt incapaces existentiae ob intrinsecam contradictionem. Ergo intrinseca rerum possibilitas non pendet a voluntate Divina. Igitur res aliqua est possibilis, non quia Deus ita voluit, sed quia Deus ita novit illam fieri posse, et non aliter, adeo ut intellectus Divinus sit fons et principium possibilitatis rerum omnium. Et quidem, ut paulo ante dictum est, cognitio omnium possibilium est essentialis Deo. Cum igitur Dei intellectus omnia possibilia necessario cognoscat, consequens est, ut illud sit possibile, cujus idea datur in intellectn Divino; illud contra, cujus idea non datur in intellectu Divino, non sit possibile. Ergo ratio, cur quicquam sit possibile, ex intellectu Dei erit derivanda. Ergo intellectus Divinus est fons, sive principium possibilitatis rerum omnium.

II. Existentia, quae dici solet etiam actualitas, est complementum possibilitatis, sive status ille, qui superaccedit possibilitati, et quo possibile aptum fit ad aliquid vel agendum, vel patiendum. Ex: gr: cum Petrus nondum natus esset, erat tantum possibilis, nec aptus erat ad aliquid agendum, vel patiendum: at eo ipso

momento, quo natus est, accessit complementum possibilitatis, nimirum status ille, quo factus est aptus ad agendum, vel patiendum.

Ex doctrina de possibili, impossibili, et existentia deducuntur nonnulla corollaria. 1. Quicquid absolute, et in sua natura impossibile est, nequit fieri possibile: alioquin aliquid in se spectatum esset simul possibile, et impossibile, quod repugnat.

2.o Quicquid hypothetice impossibile est, potest in se et natura sua esse possibile. Sic impossibile est, ut nox incubet terris, facta hypothesi, quod sol splendeat; verum in se, et natura sua impossibile non est.

3.o Quod existit, id est possibile; cum enim existentia sit complementum possibilitatis, consequens est, ut existentia includat possibilitatem. Ita ex: gr: ex eo quod Cajus est eruditus, possibile quoque est, illum esse eruditum; alioquin eruditus non esset. Veteres idipsum enunciabant: ab esse ad posse valet consequentia.

4.o Quod possibile est, id non ideo existit; possibilitatem enim non facit existentia, sed mera contradictionis absentia, quae sine existentia esse potest. Ita ex: gr: mons aureus possibilis est, quia nullam contradictionem involvit, at non ideo existit. Hoc ipsum ita enunciabant Scholastici: a posse ad esse non valet consequentia.

5.o Quod impossibile est, id non existet; sive a non posse ad non esse valet consequentia. Ex: gr: fieri non potest, ut corpus cogitet; ergo nec cogitat, nec cogitabit.

6.o Quod non existit, non est ideo inter impossibilia referendum; sive, ut Veterum verbis utar, a non esse ad non posse non valet consequentia.

III. His notionibus determinatis, facilius nunc, quid sit ens, quid non ens intelligi potest. Ens definitur id, quod est possibile, sive cui existentia non repugnat. Nomine igitur entis intelligitur quicquid vel existit, vel existere potest, sive sit substantia, sive modus.

Ens, quod jam existit, dicitur ens actu, vel actuale; quod autem existere potest, quamvis non existat, appellari consuevit ens in potentia, sive potentiale. Quod si ad existentiam perduci potest per alia entia, quae actu existunt, dicitur ens in potentia proxima; at si entia illa, per quae ad existentiam perduci potest, non actu existant, dicitur ens in potentia remota.

Praeterea ens dividitur in positivum, privativum, et negativum. Ens positivum vocant id, quod est aliquid: aliquid autem dicitur id omne, cui notio respondet. Ex: gr: lapis est ens positivum, quia lapis est aliquid, cum ei determinata notio respondeat. Ens privativum, seu privatio, est absentia realitatis a subjecto capaci. Ens negativum; seu negatio, est absentia realitatis à subjecto incapaci. Ex: gr: absentia visus est ens privativum respectu animalis, et ens negativum respectu lapidis; quia animal est capax visus, non item lapis. Advertendum tamen est, ens privativum, et ens negativum improprie dici entia, sunt enim potius defectus entis; sed quia hujusmodi defectus actu datur, ideo per modum entis consideratur.

Insuper Ens vel est reale, vel rationis. Ens rationis est, quod existere non potest, nisi in sola mente, seu ratione; cujusmodi sunt ideae omnes abstractae, et universales, quae non existunt, nisi in sola mente: ejusdem generis sunt etiam secundae intentiones logicae, de quibus consule Franciscum Iacquier Inst: philosoph: parte I. quaestio. 1.

Ens reale dicitur, quod vel actu existit, vel existere potest extra intellectum cogitantem: ita ex: gr: arbos in horto efflorescens, vel in semine delitescens est ens reale.

Non-ens dicitur id, quod est impossibile, seu cui repugnat existentia. Ex: gr: circulus quadratus est non-ens, quia contradictionem involvit; et est incapax existentiae. Nonnulli non-ens cum nihilo confundunt. Alii vero distinguunt nihilum negativum a nihilo privativo. Nihilum negativum definiunt per id, quod esse nequit; illudque vocant impossibile cognitu. Nihilum autem privativum esse ajunt id, quod quidem non est, interim tamen esse potest. Ex: gr: lignum ferreum est nihilum negativum, quia lignum ferreum nec est, nec esse potest. Alter vero Mundus ab hoc diversus est nihilum privativum, quia nondum quidem existit, existere tamen potest. Secundum has explicationes patet, nihilum negativum dumtaxat esse non-ens; nihilum vero privativum idem esse, ac ens in potentia.

Cum non-ens neque existat, neque existere possit, intelligitur, cur non-entis nullae sint proprietates; itemque cur ei nulla respondeat notio directa, sitque impossibile cognitu: quicquid enim contradictionem involvit, mente concipi directe non potest.

CAPUT III.

De adfectionibus entis generatim.

Ut distinctius explicentur ea, quae in philosophia de affectionibus entis generatim disseruntur, antea quid sit necessarium, quidve contingens determinandum est.

Necessarium dicitur, cujus oppositum est impossibile, seu contradictionem involvit; vel necessarium est, quod non potest non esse. Ex: gr: bis duo sunt quatuor, quia oppositum, nimirum bis duo non sunt quatuor, apertam contradictionem involvit, seu est impossibile.

Necessarium duplicis est generis. Aut enim oppositum alicujus rei in se, et natura sua contradictionem involvit, aut sub aliqua tantum conditione. Illud vocatur absolute necessarium, hoc hypothetice necessarium. Ex: gr: absolute necessarium est, ut bis duo faciant quatuor; nam ejus oppositum in se, et natura sua contradictionem involvit. Hypothetice vero necessarium est, ut Sole splendente sit dies; non enim in se, sed tantum posita hac conditione, quod sol splendeat, fieri non potest, ut non sit dies.

Necessitas absoluta dicitur quoque necessitas essentiae, quia essentiae rerum sunt absolute necessariae, ut mox demonstrabimus: item appellatur necessitas metaphysica, quia metaphysica versatur circa essentias rerum: vocatur praeterea necessitas intrinseca, quia rebus nihil magis est intrinsecum, quam essentia, ut paullo post innotescet: geometrica quoque nominatur, quoniam haec necessitas in rebus geometricis deprehenditur.

Necessitas hypothetica dividitur in physicam, et moralem. Physice necessarium est, cujus oppositum est physice impossibile. Moraliter vero necessarium est, cujus oppositum moraliter tantum est impossibile. Consulite quae de possibili, et impossibili superius dicta sunt.

Ex his, quae de necessitate hactenus diximus, intelligi potest, quid sit contingens. Contingens, seu fortuitum dicitur id, cujus oppositum est possibile, sive quod aliter esse potest; ex: gr: contingens est, quod nunc loquar, poteram enim non loqui.

Mutabile dicitur, quod potest esse aliter: quod vero aliter esse non potest, dicitur immutabile. Hinc patet,

quod est necessarium, idem esse immutabile, et quod contingens est, esse mutabile.

Quod est absolute necessarium, non potest esse contingens. Quod enim est absolute necessarium, ejus oppositum nullo modo fieri potest. Sed contingens dicitur illud, cujus oppositum fieri potest. Ergo liquet, absolute necessarium non posse esse contingens. Contra quod est hypothetice necessarium, in se, et absolute contingens est. Quod enim est hypothetice necessarium, ejus oppositum, nonnisi posita conditione, est impossibile; sublata igitur conditione, oppositum erit possibile. Ex: gr: hypothetice necessarium est, ut Sole splendente, sit dies; at sublato Solis splendore, diei oppositum in se possibile est. Hinc patet, necessitatem hypotheticam non tollere contingentiam.

His praestructis, ea nunc, quae de affectionibus Entis generatim tradi solent, expendamus oportet. Omnia ea, quae de Ente aliquo praedicantur, dicuntur ejusdem affectiones. Ex: gr: gravitas, durities, color sunt affectiones lapidis, quia de eo praedicantur. Ex his autem affectionibus nonnullae necessario de ente praedicantur, nec ab eo separari possunt, eodem manente genere, et specie: nonnullae vero praedicantur de eo contingenter dumtaxat, ab eoque separari possunt, salva ejus natura. Illae dicuntur affectiones essentiales, seu attributa: hae vocantur affectiones accidentales, seu accidentia, et modi. Consulite, quae in Logica disseruimus, ubi sermo fuit de ideis modorum.

Porro inter attributa primum illud, quod de ente aliquo concipitur, et per quod ens est praecise hoc ens, et non aliud, sive per quod ab aliis entibus potest internosci, dicitur Essentia. Ex: gr: primum attributum, quod concipio de creatura considerata, ut creatura, et per quod creatura praecise est creatura, et a Creatore internoscitur, est limitatio. Essentia igitur creaturae est limitatio.

Entis essentia, et natura idem prorsus significat, primarium scilicet illud attributum, quod de ente concipitur, et per quod ens constituitur hoc ens, et non aliud. Hoc tamen attributum si in seipso absolute spectetur, dicitur essentia; si vero spectetur relate ad proprietates, et operationes inde promanantes, appellatur natura.

Cur essentia enti insit, nulla datur ratio sufficiens ipsi enti intrinseca; est enim primum, quod in ente ponitur, ideoque nihil prius concipi potest, ex quo intelligatur, cur essentia ipsi enti insit. Cur insint attributa, ratio sufficiens in essentia continetur vel immediate, vel saltem mediate. Cur modi inesse possint, ratio sufficiens continetur in essentia vel immediate, vel mediate; cur autem modi actu insint, ratio sufficiens continetur in aliis entibus. Exemplum esto: essentia trianguli est numerus ternarius laterum; est enim illud primum, quod de triangulo concipitur, et per quod triangulum constituitur tale, et non aliud. Cur autem ternarius numerus laterum sit in triangulo, nulla assignari potest ratio sufficiens ipsi triangulo intrinseca. Numerus ternarius angulorum est attributum trianguli, quod cur insit triangulo, ratio sufficiens continetur in ipsa trianguli essentia, nempe in numero ternario laterum, ex quibus intelligitur, cur in triangulo tres anguli reperiantur. Trium angulorum aequalitas duobus rectis in triangulo est etiam attributum illius, quod cur illi insit, ratio sufficiens immediate continetur in numero ternario angulorum, et mediate in numero ternario laterum. Praeterea quod triangulum describi possit super hoc, vel illo plano, ratio sufficiens in attributis, et essentia illius continetur, ut cuique patet. Quod vero actu describatur, ratio sufficiens in aliis entibus continetur, nimirum in geometra, vel quovis alio, qui actu illud describit.

Hinc clarius intelligitur Wolfiana essentiae definitio. Ita enim ille: essentia, est id, quod primum de ente concipitur, et in quo ratio continetur sufficiens, cur cetera vel actu insint, vel inesse possint. Nimirum in essentia continetur ratio sufficiens, cur actu insint attributa, et inesse possint modi; adeo ut modorum possibilitates loco attributorum sint habendae, quippe quae rationem sui sufficientem habent in ipsa entis essentia.

Ex praecedentibus sequentes propositiones nullo negotio intelligi possunt.

I. Essentia entis quatenus ens est, recte constituitur in ejusdem possibilitate intrinseca. Essentia enim est id, quod primum in re concipitur, et per quod res praecise haec res est, et non alia, et ab aliis rebus distinguitur. Primum autem, quod concipitur in ente generatim, et

abstracte spectato, et per quod ens praecise est ens, et a non-ente distinguitur, est ejusdem possibilitas intrinseca. Ergo entis generatim spectati essentia est illius possibilitas intrinseca.

Quemadmodum vero essentia entis generatim spectati est possibilitas ejusdem intrinseca, ita speciatim rei alicujus essentia est illius possibilitas intrinseca, seu modus quo quaeque res fieri potest. Ex: gr. Creatura nonnisi per limitationem possibilis est; homo item alio modo ad existentiam pervenire non potest, quam per rationalitatem. Limitatio itaque, et rationalitas sunt creaturae, et hominis essentia.

Porro sicut unum, idemque ens spectari potest sub diversis respectibus; ita etiam diversa essentia in uno, eodemque ente potest considerari. Sumatur ex: gr: homo. poteris ipsum considerare ut hominem, quo respectu peculiarem habet essentiam; poteris ipsum considerare ut animal, qua ratione aliam rursus habet essentiam: poteris porro ipsum tibi repraesentare ut creaturam, et sic nova adsit essentia, necesse est: poteris denique ipsum tibi sistere ut ens, quo respectu non eam habet essentiam, quam habet ut homo, animal, creatura. Igitur cujusque rei essentia est possibilitas intrinseca cuique rei peculiaris, sive, ut dictum est, modus, quo quaeque res fieri potest.

Cum paulo ante diximus, nullam esse rationem sufficientem enti intrinsecam, cur essentia in eo reperiatur, cumque nihil sit sine ratione sufficiente; merito quaeri potest, ubinam reperiatur ratio sufficiens, cur enti insit essentia. Cui quaestioni ut satisfiat, ad memoriam revocanda sunt, quae capite praecedenti de possibilitate rerum intrinseca disseruimus. Nimirum ibi statuimus, intrinsecam rerum possibilitatem pendere ab intellectu Divino, adeo ut intellectus Divinus sit fons possibilitatis rerum omnium. Sed essentia rei cujusvis constituitur in illius possibilitate intrinseca ex dictis. Ergo intellectus Divinus est principium, et fons essentiarum, proindeque cur essentia enti insit, ratio sufficiens continetur in intellectu Divino.

II. Essentia tam entis in genere, quam rei cujusvis est absolute necessaria. Nam intrinseca possibilitas rerum est absolute necessaria: siquidem quod possibile est, necessario est possibile; non enim potest idem simul esse

impossibile ex principio contradictionis. Atqui tam entis in genere, quam rei cujusvis essentia est illius possibilitas intrinseca, seu modus, quo fieri potest. Ergo essentia tam entis in genere, quam rei cujusvis est absolute necessaria. Ex: gr: Creatura intrinsece possibilis est, et quidem necessario, non potest enim esse impossibilis; alias in se spectata posset esse possibilis, et impossibilis, quod aperte repugnat. Creatura autem nullo alio modo possibilis est, nisi per limitationem. Limitatio igitur est illius essentia, et est necessaria: nam si eam tollas, non amplius creaturam concipies, sed ens illimitatum.

Caveas vero a necessitate essentiarum ad necessitatem existentiae concludas. Quamvis enim necessarium sit, creaturam, quando exsistere debet, debere existere per limitationem; tamen illius existentia necessaria non est, potest siquidem existere, et non existere. Verum sive existat, sive non existat, non aliter existere potest, nisi per limitationem. Igitur illius essentia tantum necessaria est, non item existentia.

III. Essentia tam entis in genere, quam rei cujusvis est immutabilis. Quicquid enim necessarium est, illud est immutabile. Atqui essentia tam entis in genere, quam rei cujusvis est necessaria. Ergo est immutabilis. Igitur ne Deus quidem rerum essentias mutare potest. Non enim potest potentissimum Numen efficere, ut circulus sit circulus, et tamen simul quadratus. Nam circulus quadratus idem est, ac nihil, et nihil nequit esse objectum Divinae omnipotentiae. Entia quidem quoad existentiam mutare potest, ex: gr. aquam in vinum; tamen essentiae rerum in mera possibilitate consideratae manent immutabiles. Eadem ratione potes circulum in tabula pictum in quadratum, vel triangulum commutare; essentia tamen circuli generatim considerati manet semper immutabilis.

IV. Essentia tam entis in genere, quam rerum quarumvis est aeterna. Etenim, ut aliquid dicatur immutabile, oportet, ut tale semper fuerit, et futurum sit, alias esset mutabile. Atqui essentia tam entis in genere, quam rerum quarumvis est immutabilis. Ergo necesse est, ut talis semper fuerit, et futura sit. Atqui quod fuit, et futurum est semper tale, illud est aeternum. Ergo essentia tam entis in genere, quam rerum quarumvis est aeterna.

Non ita tamen accipi volumus hanc propositionem, ac si res cum suis essentiis ab aeterno extiterint, aut in aeternum extiturae sint. Sed sensus hic est: Deus omnium rerum essentias ab aeterno sibi in intellectu suo infinito repraesentavit, et si res, quae nunc existunt, ab aeterno extitissent, non alio modo fuissent possibiles. Igitur essentiae rerum sunt aeternae in intellectu Divino, non in rebus ipsis; proindeque ex eo, quod res sint aeternae quoad essentiam, non sequitur illas aeternas esse etiam quoad existentiam.

Ex dictis facile decidi potest quaestio illa, quomodo videlicet essentia rei alicujus ab illius existentia distinguatur. Si enim essentia rei consideratur quatenus ab aeterno continetur in intellectu Divino, realiter distinguitur ab illius existentia. Rei siquidem essentia in intellectu Divino considerata nihil aliud est, nisi idea Divina, quae est aliquid realiter distinctum ab ipsa re existente. Si vero consideratur in ipsa re jam existente, non distinguitur realiter ab illius existentia, sed tantum virtualiter, seu ratione ratiocinata. Ita ex: g: rotunditas, quae est essentia circuli, considerata quatenus ab aeterno repraesentatur in intellectu Divino, realiter distinguitur ab existentia, quae reperitur extra Deum, neque est aeterna: considerata vero quatenus reperitur in circulo jam existente, ab existentia ipsius non distinguitur realiter, cum non sit aliquid ab ipso circulo realiter distinctum; distinguitur tamen ratione ratiocinata, nam alius est conceptus rotunditatis, quam circulo necessariam concipio, alius conceptus existentiae ipsius circuli, quam concipio contingentem. Advertendum porro essentias, quae in rebus ipsis existentibus extra Deum reperiuntur, vulgo dici factas, ut distinguantur ab aeternis illis nimirum, quae continentur in mente Divina.

V. Attributa sunt absolute necessaria, immutabilia, et aeterna. Posita enim ratione sufficiente alicujus rei, et ipsa res ponatur, necesse est. Atqui attributa rationem sufficientem habent in ipsa entis essentia. Ergo posita essentia, attributa ponantur, necesse est. Atqui ex praecedentibus essentia entis est absolute necessaria, immutabilis, et aeterna. Ergo attributa sunt absolute necessaria, immutabilia, et aeterna.

Hinc patet, attributa non posse ab ente separari; quippe quae in essentia illius rationem sufficientem ha-

bent, cum eaque necessario conjunguntur. Contra modi, sive accidentia a re, cujus sunt modi, possunt separari. Etenim cum ratio sufficiens, cur modi rei actu insint, non contineatur in ipsa rei essentia, sed in aliis entibus; sequitur illos non necessario cum essentia conjungi, proindeque posse ab ipsa re separari, salva illius essentia. Ita ex: gr· potest homo esse homo, quamvis non sit eruditus.

Quandoquidem itaque modi a re, cujus sunt modi, sejungi possunt, perspicuum est modos cujusque rei esse contingentes, mutabiles, proindeque non aeternos. Quamvis autem id verum sit de modorum actualitate, tamen verum non est de illorum possibilitate. Cum enim possibilitates modorum habendae sint loco attributorum, uti jam ante demonstravimus, manifeste patet, possibilitates modorum non secus, ac attributa, esse necessarias, immutabiles, et aeternas.

CAP. IV.

De Affectionibus Entis speciatim

Articulus I.

De Affectionibus Entis intrinsecis, et extrinsecis; ubi de identitate, et distinctione.

I. Entis affectionibus hactenus generatim expensis, nunc ad illas speciatim explanandas gradum facimus. Et primo quidem entis affectiones speciatim consideratae dividi possunt in intrinseeas, et extrinsecas. Intrinsecae dicuntur illae, quae Enti conveniunt in se spectato: ita in corpore ex: gr: extensio, divisibilitas, soliditas, rotunditas, durities sunt affectiones intrinseeae, quia corpori conveniunt spectato in se, non ratione alterius Entis. Hujusmodi affectiones dicuntur etiam absolutae. Extrinsecae affectiones sunt, quae Enti conveniunt, non quidem absolute, et in se spectato, sed ratione alterius Entis, ad quod refertur; ita ex: gr: paternitas, quam in Petro concipio, non ei competit absolute, et in se spectato, sed quateuus ad filium refertur. Hujusmodi affectiones appellantur etiam in Scholis denominationes extrinsecae, et relationes.

Est igitur relatio, ordo, seu respectus unius ad alterum, ut patris ad filium, domini ad servum, potentis ad subjectum. Dividitur autem in Scholis in essentialem, seu trascendentem, et accidentalem. Relatio essentialis ea dicitur, sine qua nec esse, nec concipi potest res: ex: gr: relatio substantiae creatae ad Creatorem est essentialis, quia substantia creata natura sua est ens dependens a summo Ente. Relatio accidentalis est ea, quae in ente concipitur propter aliquod accidentale, et sine qua ens illud absolute potest intelligi, aut consistere: cujusmodi est relatio domini ad servum.

In hujusmodi autem relationibus quatuor conditiones requirunt Scholastici; 1. subiectum, quod refertur; 2. fundamentum, seu rationem, qua refertur; 3. terminum, seu id, quod respicitur; 4. ut fundamentum, et terminus non sint unum. Sic in ea relatione, qua pater ad filium refertur, pater est subjectum, quod refertur ad filium; filius est terminus, qui a subjecto respicitur; fundamentum, seu ratio, qua pater refertur ad filium est actio generativa, quatenus est in patre, qua ratione distinguitur a filio, qui spectatur ut terminus hujus actionis.

II. Identitas est affectio illa, qua entia sunt eadem. Eadem vero dicuntur, quae sibi mutuo possunt substitui ita ut, facta substitutione, nulla adsit mutatio; vel eadem sunt, quorum in uno est omne id, quod est in altero: ex. gr. si dentur duo pondera, quorum unum loco alterius substitui possit, ita ut, substitutione facta, nulla eveniat mutatio, pondera erunt eadem.

Identitas autem primo dividitur in absolutam, et respectivam. Identitas absoluta est affectio illa, qua entia absolute sunt eadem: respectiva vero, quà entia eadem sunt respective. Porro absolute eadem dicuntur illa entia, quorum in uno reperitur quicquid est in altero, adeo ut in nullis neque intrinsecis, neque extrinsecis affectionibus differant; si vero unum ens continet tantummodò aliquid, quod est in altero, tunc illa entia dicuntur respective eadem.

Praeterea identitas dividitur in genericam, specificam et numericam, prout entia eadem sunt vel genere, vel specie, vel numero. Eadem genere dicuntur, quae in genere conveniunt, cujusmodi sunt homo, et bellua: eadem specie, quae in specie conveniunt, uti sunt Cajus, Titius, Sempronius, etc. eadem numero, àtque adeo idem nu-

mero, quod vocatur quoque idem ipsum, est quod bis existere, ideoque numerari non potest, quodque propterea de seipso tantum dici potest in singulari; ex. gr. idem Cicero, qui epistolas scripsit, M. Marcellum defendit.

Verum in identitatis numericae vocabuli usu observari debent nonnullae ambiguitates: ita ex. gr. idem numero fluvius dicitur aqua per alveum Clanii hodie fluens, et ea quae heri fluebat, quae quidem identitas stricte et proprie loquendo non est numerica, cum eadem non sit numero aqua: navis, quae saepius refecta fuit, eadem numero dicitur, licet ne una quidem ex primis tabulis supersit; haec autem identitas numerica non est identitas materiae, sed formae dumtaxat, ob eandem scilicet servatam navis formam. Similiter unusquisque nostrum in toto vitae suae cursu dicitur idem numero homo; et tamen corpora nostra eadem numero non sunt in senectute, ac fuerunt in adolescentia, aut in juventute; continuis enim accessionibus, et effluviis novam materiam, novamque materialem formam quotidie induunt: quia tamen in eodem homine eadem numero anima remanet, nulla habita ratione mutationum, quae in ipsius corpore perpetuo contingunt, idem numero vocatur homo. Ex his patet, identitatis nomen arbitrariis significationibus quam plurimis obnoxium esse.

III. Identitati opponitur distinctio, quae nihil aliud est, nisi identitatis negatio. Quare ex iis, quae modo de identitate disseruimus, facile colligi potest, quid dicendum sit de distinctione: quibus si addantur ea, quae de distinctione reali, modali, et rationis dicta sunt in Logica, adaequata de diversis distinctionum speciebus idea efformabitur.

Articulus II.

De Quantitate, et Qualitate: ubi de Æqualitate, et Inaequalitate; Similitudine, et Dissimilitudine; Ordine, et Confusione.

I. Duae intrinsecarum entis affectionum species sunt, quantitas, et qualitas. Quantitas, seu magnitudo est rei mensura. Metiri autem rem dicimur, si magnitudinem aliquam pro unitate assumimus, et hujus ad rem, quam metiri volumus, rationem determinamus: ita dum lineam

rectam metiri volumus, magnitudinem aliquam, quam pedis ex: gr: nomine designamus, pro unitate assumimus, et hujus ad lineam rectam, quam metiri volumus, rationem investigamus. Hinc quantitas communiter a Metaphysicis definitur: multitudo eorum, quae rem constituunt. Sed rectius a Wolfio definitur: determinatio rei intrinseca, quae sine alio adhibito intelligi nequit. 1. Dicitur determinatio rei, idest affectio, seu proprietas rem determinans, nempe efficiens, ut sit haec, et non alia. 2. Dicitur intrinseca, quia quantitas rem, cui inest, intrinsece, et realiter afficit, neque ei praecise ratione alterius, ad quod refertur, convenire concipitur. 3. Demum additur, quae sine alio adhibito intelligi nequit, quia licet quantitas sit affectio rei intrinseca, tamen solis verbis alteri explicari non potest; et si quis quantitatis alicujus notionem in alterius animo excitare voluerit, id efficere nullatenus poterit, nisi quantitatem aliquam datam pro unitate assumat, et illius ad hanc rationem definiat, ut patet in exemplo allato.

Quantitas dividitur a Metaphysicis primo in quantitatem molis, et quantitatem virtutis. Quantitas molis est mensura extensionis; cumque extensio ex partibus extra se invicem positis componatur, patet hujusmodi quantitatem in entibus compositis dumtaxat deprehendi. Quantitas autem virtutis est mensura intensitatis, in qua non partes, sed varii tantum gradus concipiuntur, ideoque hujusmodi quantitas competit entibus extensione destitutis. Sic ex: gr: cum interrogo, quanta sit doctrina Petri, intelligis me non loqui de quantitate molis, sed de quantitate virtutis, cum in doctrina non partes, sed varii dumtaxat gradus concipiantur.

Secundo dividitur quantitas in discretam, et continuam. Discreta est, cujus partes sunt sejunctae, ut numerus: continua est, cujus partes sunt conjunctae. Continua rursus dividitur in successivam, et permanentem. Successiva est, cujus partes sunt in continuo fluxu, ut tempus, et motus: permanens vero, cujus partes simul existunt; haec autem triplex est, linea scilicet, superficies, et solidum.

II. Qualitas definitur a Wolfio: determinatio rei intrinseca, quae sine alio assumto intelligi potest. Hinc patet discrimen inter qualitatem, et quantitatem. Etenim quantitatem sine alio assumto intelligere non possumus, uti paulo ante dictum est; qualitatem autem sine alio as-

sumto intelligere possumus: ex: gr: si quis dixerit, se globum rubrum desiderare, sine alio quodam dato, quod desideratur, nemo non intelligit. Color igitur ruber, quo superficies globi pingitur, est ejus aliqua qualitas. Quoniam autem nulla in ente aliquo concipi potest determinatio intrinseca, nisi quae sine alio assumto intelligi vel potest, vel non potest; evidens est omnem determinationem intrinsecam vel qualitatem esse, vel quantitatem.

Qualitates vero aliae sunt primitivae, quibus scilicet nullae aliae priores in ente concipi queunt: aliae sunt derivativae, quae nimirum a primitivis derivantur. Rursus qualitates derivativae vel sunt necessariae, vel contingentes. Necessariae sive essentiales, inter attributa referri debent; contingentes vero, sive accidentales ad modos pertinent: consule, quae capite superiore disseruimus.

Praeterea qualitates necessariae, seu essentiales sunt etiam immutabiles, quemadmodum dictum est de attributis, proindeque non possunt intendi, ac remitti, idest non possunt ipsae in se, et ratione sui, seu intensive augeri, aut minui in eodem subjecto: ita ex: gr: extensio in corpore intendi, ac remitti non potest, hoc est, non potest in se, et ratione sui, seu intensive augeri, ac minui, cum iisdem manentibus extensionis partibus, eadem semper maneat extensio; idem dicas de ceteris qualitatibus essentialibus tum corporis, tum spiritus. E contrario qualitates contingentes, seu accidentales mutabiles sunt, ideoque possunt intendi, ac remitti, seu intensive augeri, ac minui: ita ex: gr: doctrina Petri, dulcedo cibi, curvitas lineae, cum sint qualitates contingentes, seu accidentales, et mutabiles, in iisdem subjectis in se, et ratione sui augeri, ac minui possunt, seu intendi, ac remitti, et, ut Scholae loquuntur, suscipere magis, ac minus.

Cum autem in iis, quae augentur, vel minuuntur, aliqua partium, vel graduum multitudo concipiatur; cumque haec multitudo efficiat rei quantitatem; consequens est, ut hujusmodi qualitates accidentales, licet ipsae praecise loquendo non sint quantitates, tamen quantae sint, idest aliquam in se determinatam quantitatem admittant: ita ex: gr: quaeri potest, quanta sit doctrina Petri, dulcedo cibi, curvitas lineae. Verum ex his nolim inferatur, extensionem, quam paulo ante inter qualitates corporum necessarias, et immutabiles recensui-

mus, quamque propterea intendi, ac remitti posse negavimus, esse etiam quantitatis incapacem. Nam licet extensio intensive augeri, ac minui non possit, uti dictum est, potest tamen augeri, ac minui extensive, aucto nimirum, vel imminuto partium numero, unde coalescit; proindeque quantitatis est capax. Igitur quaecumque hujusmodi sunt, ut augeri, ac minui possint, sive intensive, sive extensive, erunt quantitatis capacia: quod si aliquid ejus naturae sit, ut neque intensive, neque extensive augeri, ac minui possit, id erit quantitatis incapax.

III. Entia, quae eamdem habent quantitatem, dicuntur aequalia: quae vero eamdem quantitatem non habent, dicuntur inaequalia, et quidem majora, quae plus quantitatis; minora, quae minus quantitatis habent. Praeterea, quae habent easdem qualitates, vocantur similia; quae easdem qualitates non habent, vocantur dissimilia. Hinc in abstracto, aequalitas est quantitatum identitas; inaequalitas est quantitatum diversitas: similitudo est qualitatum identitas; dissimilitudo est qualitatum diversitas.

Si entia eamdem quantitatem, easdemque qualitates habeant, erunt aequalia, et similia. Verum quae similia sunt, possunt quantitate differre, ideoque esse inaequalia; et quae aequalia sunt, possunt qualitatibus differre, proindeque dissimilia esse. Ita ex: gr: duo libri possunt esse aequales, ita ut eorum magnitudo sit unius mensurae; at ob diversas qualitates, puta argumentum, editionem, ligaturam, erunt dissimiles: quemadmodum contra duae columnae ob easdem qualitates, possunt esse similes, at differre possunt quantitate, seu mensura.

Inter Metaphysicos agitatur quaestio, utrum dentur, vel saltem dari possint duo entia perfecte eadem, et perfecte similia. Leibnitius, ejusque asseclae contendunt, non solum actu non dari, verum etiam omnino dari non posse, adeo ut duo entia perfecte eadem, aut perfecte similia sint absolute impossibilia: quam propositionem vocat Leibnitius principium indiscernibilium ex eo, quod si duo essent entia sibi in omnibus perfecte eadem, aut perfecte similia, nullo modo a se invicem discerni possent. Verum quamvis ratio a Leibnitio allata probare videatur, dari non posse duo entia perfecte eadem; tamen nullatenus probat, dari etiam non posse duo entia perfecte similia. Et quidem, posito quod darentur duo entia perfecte, et absolute eadem, hujusmodi entia non

differrent neque quantitate, neque qualitate, neque loco, neque tempore, aliisque sive intrinsecis, sive extrinsecis affectionibus, uti colligi potest ex iis, quae de absoluta identitate dicta sunt. Ergo hujusmodi entia nullatenus a se invicem discerni possent, essentque unum, idemque numero ens, quod est absurdum. At non eodem modo rationes subduci possunt, ubi agitur de perfecta entium similitudine. Etenim, ut duo entia sint perfecte similia, nihil aliud requiritur, nisi ut easdem omnino qualitates habeant; sed hoc non impedit, quominus hujusmodi entia a se invicem discerni possint. Possunt enim, salva manente perfecta illorum similitudine, differre quantitate; et si aequalia etiam supponantur, certe a se invicem discerni poterunt ratione loci, temporis, aliarumve externarum affectionum. Ergo ratio a Leibnitio allata non probat, duo entia perfecte similia esse absolute impossibilia. Utrum vero actu dentur, alia est quaestio, cujus quidem solutio haudquaquam vulgaris est, quippe quae, obtineri non potest, nisi instituta comparatione inter omnia entia actu existentia; quod profecto humanis viribus praestari posse, nemo unquam dixerit.

IV. Ordo est certa dispositio, qua res ob similitudinem quamdam juxta se invicem collocantur, vel se invicem sequuntur: ex: gr: si libri in bibliotheca ita disponantur, ut qui sunt ejusdem argumenti, ejusdem ligaturae, ejusdem formae, juxta se invicem collocentur; hujusmodi libri ordine collocati esse dicuntur; idque nullam aliam ob causam, quam quod similitudo et rerum, quas tractant libri, et formae in voluminibus juxta se invicem positis observatur. Alia quaelibet dispositio ordini opposita confusio appellatur.

Ex dictis sequitur in omni ordine debere esse aliquid, in quo varia vel coexistentia, vel sibi invicem succedentia sint similia. Illud vero, in quo varia sunt similia, dicitur regula ordinis. Ex: gr: si convenientiam, et similitudinem in bibliotheca observaveris ratione formae; tum similitudo formae librorum constituit regulam ordinis, qui in bibliotheca conspicitur.

Igitur in omni ordine debet esse regula ordinis, quae si unica sit, ordo erit simplex; si plures adfuerint, ordo erit major, et compositus. Ex: gr: si ratione formae externae, et ligaturae, ratione argumentorum, ratione editionum convenerint libri juxta se dispositi, tum ordo

in librorum collocatione major erit, quam si sola forma externa librorum similis deprehenderetur.

Porro in rebus juxta se invicem positis alio respectu potest esse ordo, alio respectu confusio. Ex: gr: si libri juxta se iuvicem positi sint similes ratione formae, sub hoc respectu erit in iis ordo; si vero sint dissimiles ratione argumentorum, sub hoc alio respectu erit in iis confusio.

Scholium.

Licet quantitas, et qualitas sint absolutae, et intrinsecae proprietates entis; tamen aequalitas, et inaequalitas, similitudo, et dissimilitudo, ordo, et confusio non sunt nisi relativae, et extrinsecae entis affectiones: non enim conveniunt entibus absolute, et in se consideratis, sed illis concipiuntur convenire, quatenus cum aliis comparantur, ad eaque referuntur, ut cuique attendenti patet.

Articulus III.

De actione, et passione; ubi de potentia, habitu, et vi agendi.

Variae sunt qualitatum species, quarum nos praecipuas hic explicandas aggredimur, utpote ad Ontologiam pertinentes; reliquae omnes in Philosophiae decursu explicabuntur.

I. Actio definitur a Wolfio: mutatio status, cujus ratio sufficiens continetur in subjecto mutato. Ex: gr: dum scribo, agere quid dicor: fit enim tunc in me aliqua mutatio status, nempe illius determinatae mutabilium, seu accidentium coexistentiae cum attributis, quae in me reperiebatur; cujus mutationis ratio sufficiens in memetipso reperitur; siquidem cum scribo, mutatio non ab alio quodam in me producitur, sed ipse me ad scribendum determino. Si mutatio isthaec in sola cogitatione consistit, dicitur actio interna: si vero in corpore a mente producitur, vocatur actio externa.

Actioni opponitur passio, quae ab eodem Wolfio definitur: mutatio status, cujus ratio sufficiens deprehenditur extra subjectum mutatum: ex: gr: cum quis gladio percutitur, pati quid dicitur: accidit enim in ipso mutatio,

ejusque mutationis ratio reperitur extra personam, quae mutatur, nempe in percutiente.

Scholium.

Advertendum est actionis definitionem a Wolfio abstractam fuisse ab individuis contingenter existentibus, ideoque hanc definitionem tantum ad subjecta agentia contingenter existentia esse extendendam, non etiam ad actiones Dei, qui mutationis incapax est. Hanc ob rem nonnulli actionem definiunt per exercitium internae virtutis; at in quo consistat hujusmodi exercitium, minime explicant, proindeque haec definitio non videtur esse praeferenda Wolfianae, praesertim quod Wolfii definitio aliquo modo accommodari potest actionibus Dei ad extra, ut vocant Theologi; cum in hujusmodi actionibus, licet Deus non mutetur, tamen contingit mutatio status ex parte termini ejusdem actionis. Ita ex: gr: quando Deus Mundum creavit, licet nulla in ipso contigerit mutatio, tamen mundus statum mutavit, cum a statu possibilitatis ad statum actualitatis pervenerit. Ceterum Wolfiana definitio nullo modo accommodari potest actionibus Dei ad intra, de quibus in sacra Theologia agetur. Praeterea ex dictis liquet, passiones in Deum omnino cadere non posse; tum quia Deus est omnino incapax mutationis, quae subjectum patiens necessario afficit; tum quia ratio sufficiens eorum omnium, quae in Deo sunt, in Deo ipso, nec extra reperitur.

II. Potentia duplex distinguitur, activa scilicet, et passiva. Potentia activa est mera agendi possibilitas, quae dicitur etiam facultas. Potentia passiva est possibilitas patiendi.

III. Habitus est promtitudo agendi. Igitur habitus differt a potentia activa; nam praeter agendi possibilitatem, includit etiam quamdam facilitatem, seu promtitudinem agendi. Hujusmodi autem promtitudo obtineri potest vel supernaturaliter, nempe a Deo per infusionem, vel naturaliter per earumdem actionum repetitionem. Habitus, qui priori modo obtinetur, dicitur infusus: qui vero posteriori modo acquiritur, appellatur acquisitus.

IV. Vis est continuus conatus, sive nisus proximus agendi, sive est id, in quo continetur ratio sufficiens, cur actio ad existentiam perveniat. Scholastici, nec non

Cartesius, ejusque Sectatores vim, et potentiam agendi non satis a se invicem discreverant. At Leibnitius, quique post illum sequuti sunt recentiores Philosophi, vim activam ab agendi potentia distinguunt: et recte quidem, cum potentia agendi solam importet agendi possibilitatem; vis autem activa praeter possibilitatem agendi, includat etiam conatum, seu nisum proximum agendi, qui admodum differt a mera agendi possibilitate. Ex: gr: arcui adscribimus potentiam, seu possibilitatem jacula emittendi etiam cum laxus est; si vero nervus in arcu jaculis projiciendis destinatus, fuerit tensus, ita ut, impedimento sublato, ejaculemur tela, tum arcui vim ejaculandi tribuimus.

Vis, quae actu actionem producit, uti est illa, qua corpus, sublato impedimento, actu descendit, dicitur a Leibnitio vis viva: vis autem illa, quae ob aliquod impedimentum actionem suam actu non producit, ut est illa, qua corpus filo suspensum nititur descendere, sed actu non descendit, ab eodem vocatur vis mortua. De harum virium aestimatione sermo erit in Physicis.

Ex dictis duo corollaria derivantur. Primum est, quod ex sola agendi potentia nulla sequatur actio, et ex sola patiendi potentia nulla oriatur passio: quia a posse ad esse non valet consequentia. Secundum est, quod posita vi, ponatur actio, nisi adsit impedimentum: posita enim vi, ponitur id, in quo continetur ratio sufficiens, cur revera detur, et existat actio: atqui, posita ratione sufficiente alicujus rei, ponitur ipsa res; alioquin res non poneretur sine ratione sufficiente, quod est absurdum: ergo posita vi, ponitur actio. Si vero impedimentum adfuerit, tunc aderit id, quod in se continet rationem sufficientem, cur actio non perveniat ad existentiam, proindeque non ponetur actio.

Scholium.

Habitus, de quo paulo ante dictum est, confundi non debet cum decima Aristotelis Categoria, quae etiam habitus nuncupatur, et quam nos innuimus in prima parte Logicae. Ibi enim nomine habitus Aristoteles intelligit corpus aliquod circa aliud positum; uti sunt vestes, quibus actu induimur. Hujusmodi habitus vocantur etiam a

Scholasticis modi substantiales, quia repraesentant nobis veras substantias aliis substantiis modorum instar applicatas.

Articulus IV.

De unitate, veritate, perfectione, ac bonitate Entis.

I. Inter praecipuas entis qualitates numerandae sunt unitas, veritas, perfectio, et bonitas; de quibus sigillatim in hoc articulo agemus. Unitas est affectio illa, qua ens est unum. Ens autem dicitur unum, quatenus est indivisum in se, atque ab aliis distinctum. Veluti si triangulum mente concipiam, ita illum unicum deprehendam, ut servata eadem magnitudine, in duo triangula secari nequeat.

Unitas primo dividitur in unitatem simplicitatis, et unitatem compositionis. Unum unitate simplicitatis, sive unum simplex dicitur illud, quod ita indivisum est in se, ut sit etiam indivisibile. Unum unitate compositionis, sive unum compositum, dicitur illud, quod reipsa indivisum quidem est in se, at non indivisibile. Sed de ente simplici, et composito fusius infra disseremus.

Praeterea unitas dividitur in numericam, specificam, et genericam. Numerica convenit cuique enti singulari, sive individuo, veluti Cajo, Titio etc: specifica cuique speciei; generica cuique generi competit.

II. Veritas triplex distinguitur. Logica, Moralis, et Metaphysica. Veritas Logica est convenientia judicii cum objecto, de quo judicatur; et huic opponitur falsitas. Veritas moralis est convenientia externorum verborum, signorumque cum intellectus cogitationibus; et huic opponitur mendacium. Veritas autem Metaphysica, de qua hic speciatim sermo instituitur, quam etiam Entitativam, et Naturalem appellant, est convenientia rei cum suo exemplari, sive idea Divina. Nimirum quaelibet res dicitur vera, cum ideae Divinae respondet; talem scilicet naturam habet, qualis est illius essentia, quae Divinae intelligentiae obversatur.

Veritatem in hoc sensu acceptam inspiciunt Metaphysici, cum illam cuilibet enti inesse ajunt, eique nullam falsitatem opponi. Quodlibet enim ens habet suam essentiam, seu possibilitatem intrinsecam respondentem essentiae, quae Divinae intelligentiae obversatur, eaque

privari non potest, quin desinat esse ens. Nam metallum ex: gr: quod auri essentiam non habet, nec respondet ideae auri, quae est in mente Divina, non est falsum aurum, sed non aurum. Ergo quodlibet ens et verum ens est metaphysice, et falsum esse nequit.

III. Perfectio considerari potest vel ratione finis, cui assequendo res destinata est; vel ratione rei ipsius. Perfectio considerata ratione finis definiri potest cum Wolfio: consensus in varietate; seu plurium a se invicem differentium iu unum consensio. Per consensum intelligitur tendentia ad eundem finem obtinendum. Ita ex: gr: horologium dicitur perfectum propter consensum omnium rotarum, quae ad hoc tantum tendunt, ut horologium horas accurate demonstret. Contra imperfectio est dissensus in varietate, seu plurium a se invicem differentium a proposito fine dissensio. Ita horogium imperfectum dicimus, si inter ejus partes aliquis sit dissensus, ita ut ad tempus accurate metiendum singulae non conspirent.

Contra hanc Wolfii definitionem opponi posset, secundum hanc doctrinam etiam vitae hominis Epicurei, et dissoluti posse tribui perfectionem. Cum enim hujusmodi homo singulis diei horis voluptatibus vacet, idque vitae genus dies, noctesque ad vitae usque finem continuet, consensus adest, et uniformitas actionum. Ergo secundum Wolfii definitionem vitae illius tribuenda esset perfectio. Huic objectioni primo responderi potest, hujusmodi hominem dici posse perfecte scelestum, ideoque vitae illius tribui posse id genus perfectionem, nempe in scelere. Secundo respondent Wolfiani, falli eum, qui ex Wolfii definitione colligeret, perfectum dici debere statum hominis per omnem vitam scelesti, quia consentiunt ejus actiones. Primo enim non omnes consentiunt: quaerit namque felicitatem, et agit contraria felicitati etiam temporali externae, et internae, hoc est conservationi opum, sive facultatum externarum, et corporis, nec non culturae, atque tranquillitati mentis. Dissentiunt praeterea ipsius actiones a salute, atque commodo societatis. Dissentit denique status praesens a futuro. Igitur ex Wolfii definitione potius colligi debet, statum hujusmodi hominis esse imperfectissimum; proindeque proposita difficultas non probat, Wolfianam perfectionis definitionem esse rejiciendam. Eam vero legitimam esse, clarius patebit ex infra dicendis.

Igitur ad perfectionem ratione finis consideratam tria requiruntur. 1. Requiritur principium perfectionis, sive finis aliquis, et scopus, ad quem tendant varia, quae in re, quam perfectam esse dicimus, deprehenduntur. Hoc principium perfectionis, in quo plura in re quapiam consentiunt, dicitur a Wolfio ratio determinans perfectionis. 2. Ad perfectionem requiruntur plura, quamvis non realiter a se invicem semper distincta, interim tamen ut plura nobis repraesentata. 3. Requiritur, ut adsit consensus plurium cum principio, seu ratione determinante perfectionis, sive quod idem est, harmonia plurium cum fine aliquo, et scopo communi. Ex: gr: principium perfectionis mundi est manifestatio gloriae Divinae; varia in mundo obvia, sunt res creatae; in quibus adest etiam consensus cum principio perfectionis, quia omnes tendunt ad Dei gloriam manifestandam.

Si principium, vel ratio determinans perfectionis fuerit unica, tum perfectionem esse simplicem dicimus. Cum vero plura perfectionis principia, ideoque plures perfectiones simplices in aliquo ente obveniunt, tum dicimus adesse perfectionem compositam, adeo ut perfectio composita ex consensu multarum simplicium perfectionum oriri recte dicatur. Ex: gr: cum horologium ita fuerit compositum, ut in eo conspiciatur partium, ac rotularum omnium consensus ad id, ut horae tantum indicentur, habes hoc in casu perfectionem horologii simplicem. Si vero consensus partium in horologio non modo id efficit, ut horae indicentur, sed quoque ut singula minuta, singulique menses, et singuli cujusque mensis dies manifestentur; tum perfectio horologii est composita, quia plures adsunt fines, et scopi, qui per structuram partium in horologio apte cohaerentium, et amice conspirantium obtinentur.

Quo igitur plures adsunt perfectiones simplices compositam constituentes, quo item exactius plura in ente aliquo consentiunt, et conspirant cum fine, et scopo, sive principio perfectionis, eo major est perfectio. Verum experientia teste saepenumero usuvenit, ut perfectiones simplices, earumque regulae, sive principia inter se pugnent. Quod cum fit, plures regulae dicuntur inter se collidi. Et quoniam ea, quae inter se pugnant, simul esse non possunt, opus est, ut in hoc casu vel regularum perfectionis altera praeferatur, et negligatur altera; vel utraque

ex parte negligatur, ex parte autem retineatur. Neglectus hic alterutrius regulae perfectionis vocatur exceptio a regula perfectionis, quae ex regularum simul observandarum collisione nascitur. Ubi autem hujusmodi exceptio adhibenda est, recta ratio suadet, perfectionem primariam, eam nempe, quae a fine primario derivatur, praeferendam esse perfectioni secundariae, sive illi, quae derivatur a fine secundario, et minus praecipuo. Exemplo totam hanc doctrinam illustrabo. Si quis aedificium construere vult, duplicem perfectionis regulam, seu finem sibi proponere potest, habitationis scilicet, et prospectus commoditatem; fieri autem potest, ut regulae illae sibi mutuo sint contrariae, et utrumque simul obtineri non possit: in hoc casu exceptione utendum est, nempe una ex regulis est negligenda; cumque commoda habitatio praeferri debeat prospectus amoenitati, neglectis iis, quibus amoenus prospectus obtineri poterat, omnia ad commoditatem habitationis conspirare debent.

Porro in exceptione a regula perfectionis duo advertenda sunt. Primum est, quod hujusmodi exceptio locum habere potest dumtaxat in perfectione composita, non autem in perfectione simplici, in qua cum unica sit perfectionis regula, nulla esse potest pugna, et collisio plurium regularum. Secundum est, quod exceptio a regula perfectionis non est, nisi apparens imperfectio: etenim cum impossibilis sit regularum consensus, vitio verti non debet, quod ille non servetur consensus, qui nullus esse potest; et imperfectio in parte admissa, ut inde resultet major totius perfectio, pro vera imperfectione haberi non debet.

Dividitur autem perfectio finis in naturalem, sive essentialem, accidentalem, et moralem. Perfectio essentialis consistit in consensu determinationum essentialium ad obtinendum finem a Deo praeconceptum. Perfectio accidentalis consistit in consensu determinationum accidentalium cum essentialibus ad obtinendum finem ab opifice intentum. Perfectio tandem moralis consistit in consensu, seu conformitate actionum cum recta ratione, seu cum legibus sive naturalibus, sive Divinis, sive etiam humanis; eaque ad sola entia intelligentia pertinet.

Advertendum porro est duas posteriores perfectionis species (quarum altera nempe accidentalis, nonnisi in entibus creatis reperiri potest; altera vero, nempe mo-

ralis etiam in Deo locum habet, quippe cujus actiones aeternis suis rationibus exacte respondent), si considerentur respectu entium creatorum esse ambas accidentales ex eo, quod illis inesse aeque, ac abesse possunt, salva manente eorum essentia, ac natura; uti patere potest exemplo horologii horas non accurate indicantis ; et eorum, qui legem transgrediuntur. Dixi, si considerentur respectu entium creatorum, quia Deus a perfectione morali deficere non potest, ut deinceps demonstrabimus; proindeque ea perfectio respectu Dei accidentalis non est. At prima perfectionis species, nimirum essentialis, quae a Scholasticis vocatur etiam perfectio, et bonitas Metaphysica, omnibus omnino entibus convenit; tum omnia in operibus suis falli non potest Deus, ideoque omnia entia apta sunt ei fini consequendo, quem Deus ab aeterno praeconcepit; tum quia essentia, et attributa essentialia, sive determinationes essentiales, ex quarum consensu obtinetur hujusmodi finis, necessario entibus conveniunt, neque iis privari possunt, quin desinant esse entia; proindeque omnia entia sunt Metaphysice bona, et ens Metaphysice non bonum idem est, ac non ens, sicuti de ente Metaphysice falso paulo antedizimus.

Ea, omnia, de quibus hucusque disseruimus, intelligenda sunt de perfectione considerata ratione finis: nunc de perfectione considerata ratione rei ipsius nonnulla addemus. Itaque perfectio considerata ratione rei ipsius, est ipsa rei entitas: hinc res dicuntur magis, aut minus perfectae, prout majorem, vel minorem entitatem habent. Dicuntur autem a Scholasticis habere majorem entitatem, quae minus contingenter existunt; minorem, quae magis. Minus porro contingenter existere ajunt, quae nec generantur, nec corrumpuntur, et inter haec quae majori attributorum numero, aut iisdem, sed intensioribus praedita sunt; cujusmodi sunt substantiae spirituales, et inter illas intelligentiores: magis vero contingenter existere ea, quae generantur, et corrumpuntur, velut corpora. Hanc dicemus perfectionem entitatis, ut distinguatur ab illa, de qua paullo ante egimus, quae dicitur perfectio finis.

Scholium.

His nominibus determinatis, clarius intelliguntur nonnullae loquutiones. Ex: gr: intelligitur quo sensu di-

camus, domum, navim, picturam, sculpturam, et alia humanarum artium opera esse perfecta, aut minus perfecta; nempe ad eorum fines eas res comparamus. Tum naturae res, plantas, animantia bruta, homines, et cetera perfecta esse, aut minus perfecta; scilicet ad entitatem, et naturae fines eas contendimus. Item quid sit, mentes esse corporibus perfectiores, aut mentes aliis mentibus; hic solam entitatem spectamus. Sed quid significare volumus, cum dicimus, Deum esse perfectissimum? Nempe utrumque, ut scilicet nihil ei desit, quo sit quicquid esse potest, omniaque in eo conspirent ad efficiendum, ut sibi sit sufficientissimus, ac in se uno beatissimus; et ut necessario existat. Ex quibus facile etiam resolvi potest quaestio illa, utrum Deus potuerit creare homines perfectiores, aut perfectiorem Mundum; nam fine, et ordine non potuit, entitate potuit.

IV. Bonitas duplex distinguitur, absoluta scilicet, et relativa. Bonitas absoluta consistit in perfectione, adeout ens absolute bonum idem sit, ac perfectum; quare ea omnia, quae de perfectione diximus, applicari etiam possunt bonitati absolutae. Advertendum tamen est, in Scholis nomine bonitatis absolutae, ut plurimum intelligi perfectionem naturalem, seu essentialem, quae vocatur etiam bonitas Metaphysica, et omnibus entibus convenit, ut paullo ante demonstravimus. Bonitas relativa consistit in apto, et convenienti. Aptum autem, et conveniens dicitur id omne, quod bonum absolutum rei alicujus aut conservat, et perficit, aut conservare, et perficere potest. Enti Increato, nempe Deo, competit Bonitas relativa; omnia enim Ipse creavit, et conservat, atque ad proprios fines dirigit: quod autem ei necessario competat, et quomodo cum Bonitate Dei relativa conciliari possit permissio malorum, qnae videmus in hoc mundo, deinceps ostendemus. Entibus creatis etiam competit bonitas relativa, omnibus quidem, si referantur ad totum universum; omnia enim ad totius universi perfectionem tendunt, ac veluti conspirant. At si referantur ad se invicem seorsim sumta, non omnibus omnia relative bona sunt; quemadmodum potest intelligi exemplis venenі, ferarum, atque etiam ipsorum hominum, qui saepenumero se invicem laedunt, et imperfectiores reddunt; quam quidem partium imperfectionem totius perfectioni non officere, postea videbimus.

Scholium I.

Ex dictis patet, Bonitatem Metaphysicam, Veritatem et Unitatem omni enti competere: hinc quoniam ens genera omnia trascendit, ideo hujusmodi proprietates vocantur a Scholasticis trascendentales.

Scholium II.

Insuper ex dictis colligi potest, quid sint Aristotelis categoriae, quas innuimus tantum in Logica; nisi quod ad completam earum explicationem supersunt explanandae notiones loci, temporis, et situs. Igitur situs est dispositio partium corporis in loco; eadem quippe res eodem in loco variam partium dispositionem subire potest. De duratione, et tempore haud semel incidet sermo in Philosophiae decursu. De spatio, et loco in Physicis disputabitur. Nonnulla tamen hic, quae de variis modis existendi in loco Scholastici docent, advertere visum est. Triplex in Scholis distinguitur modus existendi in loco; nempe circumscriptive, definitive, et repletive. Res est circumscriptive in loco, quando commensuratur loco, hoc est, quando per diversas sui partes respondet totidem loci partibns; hic modus existendi in loco proprius est corporum. Est autem defintive in loco, cum existit in loco definito, seu determinato, ei tamen non coextenditur, seu commensuratur, sed est tota in toto, et tota in qualibet ejus loci parte: hic modus existendi in loco convenit spiritibus creatis. Est tandem repletive, quando implet, et continet omnia loca, iisque tribuit virtutem locativam, nec in illis includitur: hic modus seu ratio existendi soli Deo competit, cujus Divina substantia nullis locis includitur, sed ubique sua immensitate diffunditur. His addi potest quartus modus existendi in loco, nempe Sacramentaliter; sed de hoc Theologi.

CAPUT V.

De Entis Divisione.

Articulus I.

De Substantia, et Accidente; ubi de Supposito et Persona.

I. Praeter Entis divisiones, quas superius retulimus, nonnullae aliae a Metaphysicis adhibentur, quarum praecipuas in hoc capite distinctis articulis recensebimus. Et primo quidem ens dividitur in substantiam, et accidens. Quid sit substantia, determinavimus in Logica, ubi sermo fuit de ideis substantiarum. Porphyrianam accidentis definitionem etiam retulimus, ubi de Praedicabilibus actum est. Hic tamen non eodem sensu accidens accipitur; ibi enim accidens cum Porphyrio definivimus, quidquid adesse, vel abesse potest sine subjecti, cui inhaeret, corruptione, adeo ut secundum hanc definitionem, accidens idem sit, ac modus. Hic autem nomine accidentis intelligitur quicquid substantia non est, sive sit attributum, sive sit modus. Accidens priori significatione sumtum nimirum quatenus attributo opponitur, dicitur in Scholis accidens praedicabile: sumtum vero posteriori significatione, quatenus videlicet opponitur substantiae, vocatur praedicamentale, et dividitur in positivum, et negativum; positivum est, quod nobis exhibet aliquid, quod in substantia reperitur, ut soliditas, rotunditas, etc.; negativum vero est, quod nobis exhibet, quod in substantia non reperitur, ut indivisibilitas, immortalitas, etc. Reliqua omnia ad accidens praedicamentale, sive ad attributa, et modos pertinentia, superius tradidimus.

Varias etiam substantiae divisiones in Logica retulimus; hic unam tantum adferemus. Substantia nimirum, vel est completa; vel incompleta: illa est, quae ex sua natura non ordinatur ad constituendam substantiam aliquam tertiam; haec, quae ad tertiam substantiam constituendam ordinata est. Ex: gr: anima humana est substantia incompleta; est enim ad id ordinata, ut cum corpore organico unita substantiam tertiam constituat, scilicet hominem. Angelus contra est substantia completa; non

enim ordinatur ad tertiam substantiam cum alia substantia constituendam. Completae autem dici possunt substantiae, vel ratione naturae, sive essentiae tantum, vel etiam ratione suppositi, et personae; atque hoc complementum dicitur subsistentia. Quid porro sibi velint haec nomina suppositum, persona, et subsistentia, paulo uberius explicandum est, cum ex iis cognitio pendeat praecipuorum fidei nostrae mysteriorum.

II. Suppositum definitur: substantia singularis, ultimo completa, sui juris, alteri incommunicabilis. Est igitur suppositum substantia, non modus; singularis, non universalis; ultimo completa, idest a quacumque alia divisa, et separata, nullique alteri addita; sui juris, quae nimirum sit principium totale, et integrum suarum affectionum, et operationum, si quas habet; alteri incommunicabilis, hoc est quae alteri conjungi non potest, quin alterutra, vel utraque rationem suppositi amittat. Hinc canis, aut aliud quodvis ens, quod neque est pars alterius entis, neque illi inhaeret, dicitur suppositum. Contra vero in animali suppositum dici nequit caput, aut crus, quod a toto corpore pendeat in suis operationibus: et in homine anima, et corpus censeri non debent duo supposita, quia ambo sunt substantiae incompletae, quae ad id ordinantur, ut simul conjunctae totum substantiale constituant. Si suppositum sit ratione praeditum, dicitur persona: ita dicimus personas Divinas, Angelicas, Humanas; non vero personas equinas, leoninas, sed supposita leonina, equina. Igitur omnis persona est suppositum, at non viceversa.

III. Id quo fit, ut aliquid suppositum vocetur, vulgo dicitur subsistentia, suppositalitas, vel personalitas, si sermo sit de personis; nimirum subsistentia est ultimum illud complementum, quo substantia singularis fit sui juris, et alteri tanquam supposito incommunicabilis. Igitur substantia aliqua singularis, quamdiu retinet rationem suppositi, propria subsistentia praedita est, et in se subsistere affirmatur; quod si cum altera conjungatur, propria subsistentia privabitur. Advertendum tamen est, subsistentiam non tolli qualibet unione, sed ea tantum, quae impedit, quominus substantia singularis sit principium totale, et integrum suarum actionum, vel passionum. Unio autem duplex esse potest, scilicet inter duas substantias vel aequalis, vel inaequalis perfectionis. Si

conjungantur duae substantiae aequalis perfectionis, ita ut a se mutuo pendeant, ambae rationem suppositi amittunt, et ex iis exurgit novum suppositum. Ita ex: gr: duae aquae guttae, quamdiu a se invicem divisae manent, ambo sunt supposita; sunt enim totum quoddam, ipsisque solis tribuuntur omnes effectus, qui ab iis pendent, et omnes passiones, quibus afficiuntur: si vero conjungantur, ambae amittunt propriam subsistentiam; illarum enim affectiones non tribuuntur singulis seorsim, sed ambabus simul, hoc est novo supposito ex earum conjunctione exsurgenti. Si conjungantur duae substantiae inaequalis perfectionis, ut a se invicem pendeant in operationibus suis, ambae amittunt rationem suppositi; quia neutra seorsim est principium totale, et integrum suarum operationum, sed ambae simul, proindeque ex earum conjunctione novum suppositum exurgit; ut videre est in conjunctione animae, et corporis in homine. Quod si in hac conjunctione perfectior substantia non pendeat ab imperfectiore in suis operationibus, imperfectior vero pendeat a perfectiore, tunc perfectior non amittet rationem suppositi, sed tantum imperfectior: et ratio est, quia in hac conjunctione substantia perfectior est principium totale, et integrum operationum cum sui ipsius, tum substantiae imperfectioris. Ita ex: gr: in Christo duae sunt naturae, Divina scilicet, et Humana; sed natura humana non habet rationem suppositi, seu personae, quia in suis operationibus pendet a Divina; quicquid enim agit humanitas in Christo, id agit et Divinitas, unde Christi operationes dicuntur a Theologis Theandricae, hoc est Divino-Humanae. Natura autem Divina retinet rationem suppositi, seu personae, quia non pendet ab Humana in suis operationibus; natura siquidem Humana non habet partem in operationibus mere Divinis Verbi sibi uniti: hinc duae sunt naturae in Christo, Humana scilicet, et Divina, sed unica persona, nempe Divina.

Circa subsistentiae naturam, de qua dissident Metaphysici, duo advertenda sunt. I. Subsistentiam non esse diminutam quandam entitatem, vel semisubstantialem substantiae singulari superadditam, ut nonnulli philosophi ex Arabum praecipue Schola perperam opinabantur; sed nihil aliud esse, nisi modum illum existendi, quo substantia singularis ita existit, ut ad alteram non pertineat,

sitque sui juris. II. Subsistentiam, quamvis a substantia non distinguatur realiter, distingui tamen virtualiter, seu ratione ratiocinata, uti patet ex utriusque definitionis collatione.

Articulus II.

De Ente necessario, et contingente.

Secunda entis divisio est in ens necessarium, et ens contingens. Ens necessarium, seu ens a se, dicitur illud, de cujus essentia est, ut necessario existat, seu quod rationem sufficientem suae existentiae in sua essentia habet. Ens autem contingens, seu ab alio, illud est, quod existentiae suae rationem sufficientem non habet in sua essentia, sed in alio ente a se diverso, adeout existentia entis necessarii sit attributum illius, proindeque illi necessaria; contra vero existentia entis contingentis sit tantum modus, ideoque non necessaria.

Existere entia contingentia nemini dubium esse potest; quicquid enim praeter Deum existit, ita existit, ut non repugnet, illud sua existentia privari. Existere autem Ens necessarium, nempe Deum, in Theologia naturali multis, iisque invictissimis rationibus demonstrabimus. Hic tamen paucis ita posset ostendi. Existit aliquod ens; licet enim de reliquis dubites, de propria tamen existentia dubitare non potes. Hoc autem ens vel est necessarium, vel contingens: si dicas esse necessarium, ergo existit Ens necessarium: si dicas esse contingens, ergo etiam existit Ens necessarium. Cum enim ens contingens habeat rationem sufficientem suae existentiae in alio ente a se diverso, hoc autem ens debeat esse absolute necessarium; alioquin si et ipsum contingens esset, admitti deberet series infinita contingentium, quorum unum in altero haberet rationem sufficientem suae existentiae; in qua hypothesi cum omnia entia, unde series illa componeretur, rationem sufficientem suae existentiae extra se haberent, negato Ente necessario, haberent in nihilo, idest non haberent rationem sufficientem suae existentiae, quod manifeste repugnat. Ergo si existit ens contingens, non potest non existere Ens necessarium. Ergo existit Ens necessarium.

Cum igitur ens necessarium a nullo alio pendeat,

sequitur, ut quioquid in illo reperitur, in ipsius essentia rationem sufficientem habeat, proindeque ad ejus attributa essentialia pertineat: atqui attributa immutabilia sunt, uti constat ex dictis: ergo quicquid inest enti necessario, immutabile est, nec ei ulla mutabilia inesse possunt. Verum advertendum est, nos per mutabilia intelligere ea, quae actu mutantur; non enim repugnat ea inesse, quae in se, et absolute mutabilia sunt. Ita ex: gr: cum Deus libere Mundum creaverit, decretum de Mundo condendo in se, et absolute mutabile est; poterat enim Deus Mundum non creare. At quoniam Deus libertate usus, potius decrevit mundum condere, quam non condere, contrarium decretum in Deo nunquam fuit, nec unquam esse poterit, quia Deus mutari non potest ex eo, quod nova ratio contrarium volendi ejus intellectui infinito obversari non potest, ut clarius patebit infra, ubi de ente infinito agemus. Igitur decretum de Mundo condendo in Deo est immutabile non in se, et absolute, sed actu duntaxat, et hypotheticè. Hinc colligitur enti necessario nullos inesse modos; modi enim actu mutabiles sunt. Quaecumque igitur enti necessario insunt, ea pertinent ad attributa essentialia, aut si quae insunt, quae ad modos pertinere videantur, haec instar attributorum insunt, idest immutabiliter.

Articulus III.

De Ente composito, et simplici.

I. **Tertio dividitur ens in compositum, et simplex. Ens compositum** dicitur, quod ex pluribus a se invicem distinctis constat. Ita ex: gr: arbor, lapis, ferrum sunt entia composita: coalescunt enim ex pluribus partibus a se invicem distinctis. Triplex autem compositi species distinguitur a scholasticis, physici nimirum, metaphysici, et logici. Compositum logicum est illud, quod constat ex partibus logicis, genere scilicet, et differentia: cujusmodi est animal rationale. Compositum metaphysicum est, quod concipitur constare ex pluribus, quae metaphysice seu ratione tantum a se invicem distinguuntur: ejusmodi est anima humana, quae ex intellectu, voluntate, et memoria tanquam partibus a se invicem distinctis constare concipitur. Tandem compositum physicum est, quod ex

partibus physice, seu realiter inter se distinctis, et extra se invicem positis coalescit; hujusmodi sunt substantiae omnes corporeae.

II. Ens simplex dicitur, quod partibus caret, et esse potest vel physice, vel metaphysice, vel logice tale, prout partibus caret vel physicis tantum, vel etiam metaphysicis, et logicis.

Praeterea ens physice simplex vel absolute tale est, vel relative tantum. Primum est, quod partibus realiter a se invicem distinctis omnino caret; cujusmodi sunt spiritus. Secundum est, quod absolute, et in se spectatum habet quidem partes realiter a se invicem distinctas, sed non habet partes, quae sint ejusdem naturae, ac partes alterius entis compositi, ad quod refertur. Ita ex: gr: ex recentioribus Atomistis elementa corporum sunt simplicia, non quidem absolute, quia cum sint extensa, partibus carere absolute non possunt; sed simplicia sunt relative ad composita, ex eo, quod composita habent partes non solum realiter a se invicem distinctas, sed etiam actu separabiles, quibus partibus carent elementa, cum partes, quas habent elementa, licet sint realiter inter se distinctae, tamen non sunt actu separabiles, sed per mentem tantum assignabiles. Quare docent Atomistae, elementa corporum absolute quidem esse composita, sed relative esse simplicia.

III. Quamvis autem multiplex, et varia sit significatio entis compositi, et simplicis, uti patet ex dictis, tamen nos hic entis compositi nomine intelligimus ens illud, quod constat partibus realiter inter se distinctis, extra se invicem positis, et physice connexis: quemadmodum e contrario entis simplicis nomine intelligimus ens illud, quod caret partibus realiter inter se distinctis.

Cum igitur entis compositi nomine intelligatur ens illud, quod constat partibus realiter inter se distinctis, extra se invicem positis, et physice connexis, manifestum est, determinatum aliquod prodire ens compositum, si datae partes dato aliquo modo connectantur: proindeque essentiam entis compositi, prout compositum est, consistere in modo compositionis earum partium, ex quibus constat compositum; per modum enim compositionis partium, hoc praecise efficitur ens compositum, nec aliud; ab eoque modo, quo partes inter se connectuntur, ceterae omnes proprietates composito illi peculiares derivantur. Ita ex:

gr: ensis, et horologium sunt entia composita inter se plane diversa; distinguuntur autem a se invicem per aliam, aliamve partium connexionem, et structuram diversam, a qua diversa partium structura, et connexione diversae oriuntur proprietates aliae ensi, aliae horologio peculiares. Manifestum est igitur essentiam entis compositi, quatenus compositum est, consistere in modo, quo partes componentes inter se conjunguntur.

IV. Enti composito opponi ens simplex patet ex dictis, cumque contrariorum contrariae esse debeant proprietates, nemo non videt, ea, quae entium compositorum sunt propria, nullatenus enti simplici convenire. Sed antequam compositorum, et simplicium entium proprietates expendamus nonnulla advertenda sunt.

Et primo quidem ex nihilo oriri dicitur aliquid, dum ita existere incipit, ut nihil ejus antea extiterit; contra autem annihilari dicitur aliquid, dum ita existere desinit, ut nihil ejus postea supersit. Secundo oriri simpliciter aliquid dicitur, quod antea quidem non existebat, sed existere incipit: contra autem interire simpliciter dicitur, quod antea quidem existebat, sed existere desinit. Itaque dum ens oritur, ex statu merae possibilitatis ad statum actualitatis reducitur, sive transit a potentia ad actum: dum vero interit, ex statu actualitatis ad statum possibilitatis reducitur, sive ab actu transit ad potentiam licet enim res actu esse desinat, manet tamen possibilis.

Hinc patet composita oriri posse, licet non educantur ex nihilo: cum enim essentia entis compositi consistat in modo, quo partes inter se connectuntur, cumque oriri simpliciter illud dicatur, quod antea non existebat, sed existere incipit; si partes separatae jam existentes, determinato quodam modo conjungantur, existere incipit ens quoddam compositum, quod antea non existebat: similiter composita interire possunt, licet non redigantur in nihilum, nempe si partes antea conjunctae separentur ob eandem rationem.

Ens vero simplex vel absolute necessario existit, vel contingenter tantum; si absolute necessario existit, oriri non potest, nec interire, alioquin non existeret necessario. Si vero contingenter existit oriri quidem potest, sed non aliter, nisi ex nihilo; quemadmodum et interire potest verum non alio modo, nisi ut annihiletur. Et quidem ens simplex ex composito oriri nequit; etenim po-

namus, si fieri potest, ens simplex ex composito oriri. Quoniam compositum constat ex pluribus partibus realiter distinctis; quicquid ex composito oritur, hoc est quicquid existere incipit, illud oriri debet vel facta partium dissolutione, vel nova partium dissolutarum facta connexione, cum nihil aliud his partibus accidere posse evidens sit. Si partes dissolutae novo quodam modo conjungantur, prodit ens compositum, non simplex: si facta partium dissolutione aliquid prodit, secundum doctrinam eorum, qui docent composita coalescere ex partibus in infinitum divisibilibus, prodire non potest, nisi ens compositum; secundum doctrinam eorum, qui opinantur, composita coalescere ex elementis absolute simplicibus, facta compositorum dissolutione usque ad prima elementa, nullum ens existere incipit, quod antea non extiterit, quippe simplicia elementa jam existebant ante partium dissolutionem, ac proinde ens simplex ex composito oriri nullatenus potest. Similiter ex ente simplici ens simplex oriri nequit; etenim ens simplex caret partibus, ideoque est indivisibile, ac proinde nihil ab eo separari potest, quod extra ipsum existere possit. Cum igitur ens simplex contingenter existens, neque ex alio ente composito oriri possit, neque etiam ex ente simplici, reliquum est, ut dicamus, ens simplex contingenter existens, dum oritur, produci ex nihilo. Praeterea ens simplex, cum oritur, debet oriri in instanti; idest in ejus ortu non possunt partes cum partibus successive conjungi, quemadmodum fieri solet in ortu entium compositorum; ratio est, quia ens simplex caret partibus, adeoque in ejus ortu distinguere non licet plura, quae sibi invicem succedant, sed dum existere incipit, totum simul existere debet. Ergo ens simplex contingenter existens, dum oritur, ex nihilo producitur ab ente necessario, in quo est ratio sufficiens suae existentiae, et quidem in instanti. Similiter si ens simplex intereat, in instanti annihilatur, nec nisi ab ente necessario; etenim cum partibus careat, fieri non potest, ut existere desinat, et ejus pars aliqua existat; quare si intereat, annihilatur, et quidem in instanti, cum nonnisi totum desinere possit. Quod autem solius entis necessarii potentia ex nihilo produci, et in nihilum redigi possint entia contingenter existentia, in Metaphysicae decursu palam fiet.

V. Praeter enumeratas hactenus proprietates, ens sim-

plex etiam sequentes habet. Primo non est extensum; nam ad extensionem efformandam requiruntur partes extra se invicem positae, et physice connexae; ens autem simplex caret omnino partibus. Secundo non habet quantitatem molis, cum ad quantitatem molis constituendam requiratur partium multitudo, quibus caret ens simplex. Tertio omni caret figura, cum figura à limitatione extensionis oriatur; ens autem simplex extensione careat. Quarto demum indivisibile est, cum nullas habeat partes, in quas dividi possit.

At contra ens compositum est extensum, aliqua gaudet quantitate molis, est figurabile, et divisibile ob contrariam rationem, nimirum quia coalescit ex partibus realiter distinctis, extra se invicem positis, et physice connexis.

Articulus IV.

De Ente finito, et infinito.

I. Quarta entis divisio est in ens finitum, et infinitum. Ens finitum, seu limitatum est illud, quod limites habet. Ens vero infinitum, seu illimitatum est illud, quod limitibus caret. Limes porro nihil aliud est, nisi defectus ulterioris realitatis. Ita ex: gr: hanc mensam, quam coram videmus, non ob aliud limitatam dicimus, nisi quod illius extensio post determinatum intervallum desinit, nec ulterius porrigitur. Similiter mentis humanae cognitionem limitatam dicimus, quia illi quamplures realitates desunt; nec enim omnia cognoscimus, nec quae cognoscimus, distinctissime cognoscere valemus. Si limites in entibus compositis deprehenduntur, oritur inde figura, adeo ut figura nihil aliud sit, nisi limes extensionis. Si vero limites in entibus simplicibus omni extensione destitutis reperiuntur, tum illi limites intensitatis, sive virium, et qualitatum, dicuntur gradus.

II. Cum igitur ens finitum, seu limitatum sit illud, quod habet limites, et ens infinitum, seu illimitatum sit illud, quod limitibus caret, cumque per limitem nihil aliud intelligamus, quam defectum ulterioris realitatis; operosum non erit colligere, quaenam proprietates enti finito, quaenam vero enti infinito conveniant. Et quidem quod pertinet ad ens finitum, omne ens finitum actu non habet ea omnia, quae habere potest: Siquidem

ens finitum dicitur, quod limites habet; limes autem consistit in defectu ulterioris realitatis; ergo manifestum est, enti finito deesse quasdam realitates, adeoque actu non habere ea omnia, quae habere potest. Ita ex: gr: animae humanae, quae finita est, quamplures cognitiones desunt, quae illi inesse possunt. Deinde enti finito concipi majus aliquid potest; cum enim actu non habeat ea omnia, quae habere potest, patet, aliud quoddam ens concipi posse, in quo plus resideat realitatis, ideoque sit eo majus. Ex quibus necessaria illatione conficitur, ens finitum, alios, atque alios status successive acquirere posse; ideoque esse mutationis capax, itemque esse ens contingens, cum omne id, quod est mutabile, sit etiam contingens.

III. Ex his, habita oppositi ratione, intelligi potest, ens infinitum, cum limitibus omnino careat, eas omnes, quas habere potest, realitates actu habere debere, omnesque respuere gradus; nec aliquid eo majus concipi posse; atque in ipso nullam successionem posse habere locum; nullam quoque in ipso mutationem posse reperiri; et denique absolute necessarium esse debere. Ex quo etiam apparet, ens infinitum non posse esse compositum; nam quicquid compositum est, absolute necessarium esse non potest, cum sit mutationis capax. Ergo ens infinitum debet esse ens simplex, cum omne ens aut compositum, aut simplex esse debeat.

Scholium I. Si ens est infinitum, sequitur, illud esse simplex, ut patet ex dictis: at ex eo quod ens aliquod sit simplex, non statim sequitur, illud et infinitum esse; possunt enim dari, sicut revera dantur, entia simplicia, et finita. E contrario si ens est infinitum, sequitur, illud esse absolute necessarium, uti modo demonstratum est; et si ens est absolute necessarium, sequitur illud esse infinitum: nam ens absolute necessarium est etiam immutabile; immutabile autem esse nequit, nisi actu habeat quicquid habere potest, sitque proinde infinitum. Ergo etc.

Scholium II.

Advertendum est ea omnia, quae hactenus de Ente Infinito diximus, intelligenda esse de Ente Infinito absoluto, non autem de ente infinito relativo. Infinitum enim relativum in se, et absolute finitum est; proin-

deque ei competere non possunt ea omnia, quae Enti absolute Infinito conveniunt. Quid autem sit infinitum relativum, in physicis explicabitur.

Articulus V.

De Causis, et Effectibus.

Quinto demum Ens dividi potest in Causam, et Effectum. Causa appellari etiam solet principium; et effectus causatum, vel principiatum. Nomine causae, seu principii generatim loquendo intelligitur id, quod rationem continet, cur illud sit, cujus dicitur causa, seu principium. Nomine vero effectus, seu causati, aut principiati intelligitur id, quod rationem sui in altero habet.

Advertendum tamen est, 1.° discrimen aliquod intercedere inter causam, et principium; et consequenter inter effectum, seu causatum, et principiatum. Causa enim a suo effectu, seu causato, et vicissim effectus a sua causa distinguitur natura, seu substantia, vel entitate; principium vero licet aliquo modo distingui debeat a principiato, et vicissim, tamen necesse non est, ut natura distinguatur. Ita ex: gr Pater in creatis non solum est principium filii, sed etiam est vera illius causa; at in Divinis non est, nisi principium: quia in creatis Pater quoad naturam, seu substantiam, et entitatem a filio distinguitur; in Divinis vero non ita se res habet, cum Pater aeternus a Filio, et uterque a Spiritu Sancto personalitate dumtaxat, non item natura distinguatur. 2.° Tam principium, quam causam praecedere suum principiatum, vel causatum; sed non semper eodem modo. Triplex enim dari potest *prioritas*, temporis nempe, causalitatis, et originis. Primam habet Pater respectu filii in creatis; alteram Sol respectu lucis, quam praecedit tamquam causa, licet tempore non praecedat; tertiam habet in Divinis Pater aeternus respectu Filii, atque Pater, et Filius respectu Spiritus Sancti: licet enim hae tres Personae sint omnes coaeternae, et consubstantiales, neque una sit alterius causa; cum tamen Filius, seu Verbum originem habeat a Patre, et Spiritus Sanctus ab utroque, hinc Pater est prior origine respectu Filii, et uterque respectu Spiritus Sancti.

Ex dictis liquet, notionem principii latius patere notione causae: omnis quippe causa principium est, at non omne principium dici potest causa. Hinc causa, quatenus a principio distinguitur, specialius, ac pressius definiri potest: id, quod rationem continet, cur aliud existat natura distinctum; et effectus, seu causatum, quatenus a principiato distingnitur, definiri potest: id, cujus existentiae, sive actualitatis ratio in ente altero continetur, a se natura distincto. Cumque causa, et effectus voces sint relativae; hinc totidem sunt effectuum genera, quot causarum.

Quinque autem causarum genera vulgo distingui solent. 1.º Causa efficiens dicitur illa, quae virtute sua effectum producit, illumque a potentia, ut ajunt, transfert ad actum. Sic artifex est causa efficiens statuae. 2.º Materialis causa est id, ex quo praeexistente fit aliquid; ut metallum, ex quo statua conflatur. 3.º Causa formalis est rei ipsius forma, quae scilicet rem definit, ut talis sit. Haec aut est essentialis, seu substantialis, quae efficit, ut res certa quaedam substantia sit a ceteris distincta: aut accidentalis, quae ita rei adjungitur, ut abesse possit, salva ejus substantia, seu essentia. Ita interiorum illa partium Auri dispositio, qua nimirum fit, ut Aurum potius sit, quam quaevis alia substantia, forma essentialis, seu substantialis est Auri. At accidentalis corporis aurei forma est, qua illius partes ita disponuntur, ut potius rotundam, quam aliam figuram exhibeant. 4.º Causa finalis est, cujus amore, et gratia causa efficiens aliquid producit: ut lucrum, vel gloria, quam artifex in elaboranda statua intendit. 5.º Tandem causa exemplaris dicitur illud, quod sibi ad imitandum proponit causa efficiens: veluti imago Principis, quam intuetur artifex in statua perficienda.

Iam vero causa efficiens, quae verae causae nomen, et rationem habet, 1.º vel est prima, vel secunda. Illa nulli subjicitur, et per se, et propria virtute agit, cujusmodi est solus Deus: haec vero a Causa prima pendet, neque agit, nisi virtute, quam ab illa accipit; et hujusmodi sunt res omnes creatae. 2.º Vel est principalis, vel instrumentalis. Altera ita effectum producit, ut in ipsa sit ratio, cur effectus existat: altera drincipali inservit in producendo effectu. 3.º Vel est adaequata, vel inadaequata: illa sola, haec cum aliis

effectum producit. 4.° Vel est physica, vel moralis. Earum prima vera, et reali actione effectum producit; altera vero effectus producendi occasionem causae efficienti praebet. Ita ex: gr: qui hominem propria manu occidit, causa efficiens est homicidii; at illius causa moralis est, si mandato, consilio, minis etc: occasionem praebet, ut homo ab alio occidatur. 5.o Tandem vel est libera, vel necessaria. Illa ita agit, ut veram ad oppositum potentiam habeat: haec vero naturae, vel alterius causae antecedente necessitate ad agendum ita determinatur, ut ab actu abstinere nequeat.




Legatoria GIUDICE CONCETTA -
Via Fuori Porta S. Gennaro, 7 -
NAPOLI





